Rydulski Petri Jos. Cant: Dissertatio philosophica ex Pneumatologia de anima rationali.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Ex Pneumatologia

De Anima Rationali,

per

M. PETRUM, JOSEPHUM, CANTIUM

RYDULSKI,

Philosophiæ Doctorem ac Professorem, Collegam Minorem Vocatum, Contubernii Geloniani Seniorem,

pro loco obtinendo

in Minori Universitatis Cracoviensis Collegio,

Publicæ Disputationi

in Lectorio CC. DD. Theologorum.

Annô à partu Virginis 1771. Die 22. Mensis Octobris.

EXPOSITA.

CRACOVIÆ

Typis Collegii Majoris Universitatis.

DEDICATORIA
SANCTO PATRIARCHÆ JOANNI CANTIO.

Adesdum calame!

Laudemus Viros gloriosos & Parentes nostros in generatione sua (a),
Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes:
Pacificantes in domibus suis (b).
Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt:
& in diebus suis habentur in laudibus (c).
Princeps Fratrum, Firmamentum gentis,
Rector Fratrum, stabilimentum populi (d),
Magnus Pater multitudinis (e) *Immortalis est memoria Illius:*
quoniam & apud Deum nota est, & apud homines (f).
Magnus coram Domino (g): *quo non surrexit major* (h) in gente nostra:
Etenim manus Domini erat cum Illo (i):
Dilectus Deo & hominibus (k)

SANCTUS JOANNES CANTIUS

Cujus memoria in benedictione est (l).
Sortitus est animam bonam (m): quia *Justorum animæ in manu Dei sunt* (n).
Custodivit animam suam, & numquam contaminatus est (o).
Quia *qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ* (p).
Inventus est perfectus, justus,
& in tempore iracundiæ factus est reconciliatio (q):
Placita enim erat Deo anima Illius (r).
Satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis (s).
quia *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem* (t):

(a) Eccli 44. 1. (b) Ibid. v. 6. (c) Ibid. v. 7. (d) Eccli 49. 17. (e) Eccli 44 20. (f) Sap. 4. 1. (g) Luc. 1. 15. (h) Matt. 11. 11. (i) Luc. 1. 66. (k) Eccli 45. 1. (l) Ibid. (m) Sap. 8. 19. (n) Sap. 3. 1. (o) Tob. 1. 12. (p) Tob. 12. 10. (q) Eccli 44. 17. (r) Sap. 4. 14. (s) Psal. 106, 9. (t) Psal. 4. 2.

Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras (a)

atque

Feneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei (b):

Concupivit aliquando caro Ejus adversus spiritum Ejus:

Sed memor

Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis (c);

Abominabilis Ei sit in vita sua panis, & animæ Illius cibus antè desiderabilis (d).

Uritur nec percipit: quia ardebat igne Dei, vel igne Deo:

Etenim Deus noster ignis consumens est (e):

Segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intus accendit (f):

Urebatur in carne, ardebat in corde.

Et quia

æstuavit anima ejus (g) ad videndum *pretium redemptionis animæ suæ* (h);

quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum (i),

æstuans longè positas salutis, currit ad undas.

Quodsi

Custos animæ suæ servat animam suam (k),

Innocens manibus & mundo corde

non accepit in vano animam suam (l):

Sibi dictum reputans:

Pro anima tua ne confundaris dicere verum (m):

minimèque dubitans, quòd

in conspectu Illius sanctificabunt animas suas (n).

Meritò *Misericors Dominus & justus* (o)

Glorificavit Illum in conspectu regum, & ostendit Illi gloriam suam (p);

Beatificavit illum in gloria (q):

Similem fecit Illum in gloria Sanctorum (r):

In fide & lenitate Ipsius SANCTUM *fecit Illum* (s)

(a) Tob. 4. 11. (b) Prov. 19 17 (c) Eccli 18. 31. (d) Job 33 20. (e) Hebr 12. 29. (f) Leo Papa serm. in natal. S. Laurent. (g) Judit. 13. 29. (h) Psal. 48. 9 (i) Psal. 41. 2. (k) Prov. 16. 7. (l) Psal. 23. 4. (m) Eccli 4 24. (n) Eccli 2. 20. (o) Psal. 114 5. (p) Eccli 45. 3 (q) Ibid. v. 8. (r) Ibid. v. 2. (s) Ibid. v. 4.

QUÆSTIO.

Anima Rationalis Spiritualis, Immortalis, in quolibet homine Una, Libera, ſitné Forma ſubſtantialis corporis humani? necne?

DISSERTATIO.

I. QUandoquidem in Pneumatologia (a),, duplex quæſtio eſt,
,, una de ANIMA, altera de DEO: prima efficit, ut noſmet
,,ipſos noverimus; altera, ut originem noſtram: illa nobis dulcior; iſta
,,carior: illa nos dignos beatâ vitâ; beatos hæc faciat: prima eſt illa
,,diſcentibus, iſta jam doctis,, (b); cùmque iſta de DEO publicè ex
hocce loco diſſerendi Doctiſſimo Viro argumentum jam fuerit (c); non
immeritò priorem de ANIMA impræſentiarum reſolvendam de Majorum conſilio ſelegimus. ,,Eſt autem hæc Philoſophiæ pars omni-
,,um maximè neceſſaria, utilis & jucunda: quandoquidem nihil mor-
,,talibus eſſe poteſt, aut magìs neceſſarium, aut magìs utile, ut vi-
,,vant beati, quàm illud, quod DEO Veteres tribuerunt: *Noſce te*
,,*ipſum*; & rerum animi agnitio omnium pulcherrima Philoſophis ſem-
,,per viſa eſt, omniumque ferme hominum vehementem curioſitatem
,,ſemper ea excitavit perquiſitio. Sanè, qui perſpectam habet ani-
,,mi ſui naturam divinam & immortalem, non poteſt non præſen-
,,tia, & circumjacentia bona contemnere velut infantium crepundia,
,,vana & fugacia; ſpectare verò ſempiterna, & ſecundùm ea vitam
,,longè nobiliſſimam inſtituere..... Nempe duo maximè ſunt, quæ
,,perpetuò homines miſerè miſeros habent: metus mortis, & circum-
,,poſitorum bonorum nimia admiratio. At utrumque ſi non omnino
,,demit, maxima ſaltèm ex parte extenuat animi noſtri intima con-
,,templatio, efficitque nos non modò in mortis proſpectu alacriores,
,,verùm etiam in adverſa fortuna tranquillos, atque idcirco minùs
,,ad magna gerenda impeditos,, (d). ,,Accedit etiã, quòd ex perſpicuis
,,animi noſtri dotibus, præſertim verò ex ipſius *ſpiritualitate*, atque
,,*immortalitate*, ex arbitrii vi, ſeu *libertate*, quæ ritè accuratèque de-
,,monſtratæ jam fuerint, plurima veluti ex fonte dimanant, ex qui-
,,bus univerſa ferme morum doctrina, humanorum actuum honeſtas,

(a) Pneumatologia, *Metaphyſicæ pars altera*, ſpirituum ſcientia *dicitur ex græco* pneuma, *quod ſpiritum ſonat. Inter ſpiritus jamdiu Veteres Metaphyſici præcipuum ſuæ ſpeculationis objectum ſtatuerunt* animam, *ceu ſpiritum creatum,* & Deum, *ceu ſpiritum increatum.* (b) *S. Auguſt: lib:* 2. *de Ordine cap:* 18. (c) *Diſſertat: Philoſoph: ex Pneumatol: de Deo Diviniſque Perfection:* 1765. *die* 27. *Auguſt:* (d) *Anton: Genuen: Element: Metaph: part: alter: in Præfat: pag: mihi* 2.

„legum robur, ſincera denique hominum felicitas oritur; ut optimo „proinde jure mentis humanæ cognitio veluti præcipua Ethicæ, ve„ræque Religionis origo, & fundamentum haberi conſveverit„ (a). „Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio„ (b).

II. Porro *Animæ Rationalis* nomine nihil aliud intelligi vel deſignari ſolet, quàm principium illud, quod in homine reperitur, ut ipſius præſidiô ille cogitet, verum intelligat, bonum velit, ſibique ejuſmodi cogitationum, perceptionum ac volitionum conſcius ſit: ut, quemadmodum nempe noſtrum quilibet admirabili quadam partium texturâ, ſenſuum varietate, gravitate, figura, motu, aliisque id genus corporeis affectionibus motus varios, variosque corporeos actus producit, ita quoque *Animæ Rationalis* præſidiô, veluti puriori quodam diſtinctôque principiô, nobiliores actus alios ſuperiùs memoratos efficiat, qui neque à corporea ſubſtantia, neque à corporeis ullis affectionibus oriri poſſint. *Rationalis* dicitur, quòd nimirum incorporeæ cognitionis, aut rationis capax ſit, adeòque perſpicuo certoque diſcrimine ab *anima* diſtinguatur, quæ corporeis quibusdam rebus adſcribi ſolet: cùm *Plantæ* quoque, ac *Bruta* peculiari quodam *animæ* genere prædita exiſtimentur. „Carteſius, Sylvanus Regis, & ple„rique alii, hoc ſtatuunt diſcrimen inter notiones vocabulorum *mentis* „& *animæ*, ut eadem ſubſtantia cogitans, ſi quidem in ſe ipſa ſpecte„tur, *mens* dicatur; ſi prout corpus animat, *Anima*. Quam ego do„ctrinam in his Philoſophis, qui nullum *reale commercium* inter men„tem & corpus eſſe opinantur, non poſſum non ridere. Sed & „quidam Veteres Mentem ab Anima realiter diſtinxiſſe videntur, ùt „non pauci è recentibus Philoſophis„ (c). „Non eſt idē *anima* & *mens*: „aliud eſt enim, quo vivimus; aliud, quo cogitamus; nam dormien„tium mens, non anima ſopitur, & in furioſis mens extinguitur, „anima manet, & ideò non exanimes, ſed dementes vocantur„ (d).

III. Exiſtere autem ejuſmodi principium, ſive *Animam Rationalem*, quæ in nobis ipſis intelligat, ac velit, ſimulque eorum actuum conſcia ſit (num: præced:), intimo vividoque ſenſu percipimus, ut nihil proinde certius, aut evidentius effingi poſſit. Itaque præclarè dixit Aphrodiſæus (e) Animam eſſe *rem maximè cognitam, ac manifeſtam*: „quemadmodum enim nihil omnino perſpicuum magis ac exploratum „eſſe poteſt, quàm nos cogitare, dum cogitamus; aliquid velle, cùm

„volumus;

(a) *Edvard: Corſin: tom: 6. Metaph: part: 2. in præfat: pag: mihi 110.*
(b) *Thom: Kempen: lib: 1. de Imitat: cap: 2. n. 4.* (c) *Anton: Genuen: loc: cit: Definit: 1. pag: mihi 4.* (d) *Lactant: Firmian: lib: 7. Divin: Inſtit: cap: 12. pag: mihi 113.* (e) *De Anima lib: 2. cap: 1.*

,,volumus; percipere, dubitare, recordari, cùm percipimus, dubitamus, recordamur; ita quoque perspicuum nobis certumque esse debet, principium illud in nobis existere, quo singulæ operationes, & actus illi in nobis peraguntur,, (a). Hinc est, quòd de existentia mentis suæ nemo prudens dubitare poterit, immo dubitans confirmat evidenter suam existentiam: qui enim dubitare vellet dari mentem suam, eo ipso dubitaret esse se sui conscium sibi; quodsi hoc faceret, eo ipso suæ mentis existentiam confirmaret: unde enim sciret se dubitare, nisi esset sui conscius? Inde ulteriùs sequitur: si quis vellet cum *Idealistis* negare existentiam realem corporum; Animæ tamen existentiam inficiari nequit: nam vel hanc negando judicat, adeòque prodit principium potens elicere intellectiones, & se habere sui conscientiam (II.); adeòque manifestat sibi inesse animam. Rectissimè S. Augustinus: ,,Mihi esse me, idque nôsse & amare, ,,certissimum est: nulla in his veris Academicorum formido dicenti-,,um: Quid si falleris? Si enim fallor, sum: nam, qui non est, utiq; ,,nec falli potest: ac per hoc sum, si fallor (b). Vivere se, & me-,,minisse, & intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & judicare, ,,quis dubitet? quandoquidem etiamsi dubitet, vivit: Si dubitat, un-,,de dubitet, meminit: si dubitat, se dubitare intelligit: si dubitat, ,,certus esse vult: Si dubitat, cogitat: si dubitat, scit, se nescire: si ,,dubitat, judicat, ne se temere consentire oportere,, (c). Adeò nempe certa est existentia *Animæ humanæ*, ut vel ipsa dubitatione demonstretur. Sicut enim impossibile est operari sinè esse: cùm juxta omnes *operari sequatur ad esse*; ita impossibile est, nos posse dubitare, vel cogitare, quin existamus; & cùm *ab actu ad potentiam* (viâ affirmativâ) *valeat consequentia*; cognitioque sit actus animæ; sicut valet: adest lux, ergo sol; datur motus cordis ergo vita; ita valet: *Cogito ergo sum*: Hinc optimè, accuratèque Cartesius observavit (d), quòd licèt ali-

 quis

(a) *Edv: Corsin: loc: cit cap: 1. n. 3. pag: mihi 113.* (b) *Lib: 11.* de *Civ: Dei cap: 26.* (c) *Lib: 10. de Trinit: cap: 10.* ,, *Ergone Carneades tecum ipse* ,,*loquens, dicturus es, te nescire, homo sis, an formica?* ,, *Lib: contr: Academ: 3. n. 22. cap: 10.* ,, *Multa sunt, quæ Academici in dubium revocare non potuerunt, quale est illud: scio, me vivere, aut cogitare. Ubi nec dici potest:* ,,*fortasse dormis, & nescis, & in somnis vides: quia & dormire, & in somnis* ,,*videre, viventis est* ,, *apud Phil: Burgun: tom: 1. dist. proam: quæst: 1. ùt refert Johan: Agnani lib: 1. Prodromo Philosoph: Neo-palaæ sect: 1. cap: 3. n. 4. pag: mihi 13.* (d) *1. part: Princip: Philosoph: edit: Amstelodamen: n. 7.* ,,*Sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare,* ,,*ac etiam falsa esse fingentes, facilè quidem supponimus - - - - Nullum calum,*

quis de rebus omnibus, atque de ipsa quoque existentia sua dubitare conetur, ex hac ipsa tamen dubitatione, vel cogitationis genere, quam intimo quodam, vividoque sensu percipit, manifestissimè inferre debet, rem, aut animam, aut mentem cogitantem existere: cùm certè nihil operari, aut cogitare, aut percipere, aut dubitare unquam possit, nisi priùs existat, & cogitandi vî, sive principiô præditum sit. „Hoc verò non esse novum quoddam inventum Cartesii, nec quò „ad substantiam, nec quò ad ipsam rationem absolutam methodicè „procedendi ad deductionem veritatum, clarissimè videbit, quisquis „legerit verba S. Augustini (a). Quidquid porro S. Doctor ibi„dem memorat, non est dubium, quin ex omnium etiam rudio„rum hominum consensione processerit„ (b).

IV. Hæc igitur *Anima Rationalis* usitatis in scholis terminis definiri solet: „Actus primus corporis naturalis, organici potentiâ vi„tam rationalem habentis„. Hinc S. Augustinus: „Si definiri tibi „animum vis, & ideo quæris, quid sit animus, facilè respondeo: „nam mihi videtur esse substantia quædam, rationis particeps, regen„do corpori accommodata„ (c). Atque optimè quidem *Anima Substantia* dicitur: cùm operandi vî prædita sit, plurimosque actus exerat (II), quod uni substantiæ, non verò modo, vel accidenti convenire potest. *Rationis particeps* appellatur, quòd ita profectò cogitet, ut ejusmodi cogitationis conscia sit, cogitationem unam ex alia deducat, unum ab alio discernat, adeòque ratione prædita videatur. Additur, quòd sit *regendo corpori accommodata*, quòd mirô quodam, ac liberô Divini Opificis consiliô humano corpori conjuncta fuerit, adeòque hoc ipso veluti discrimine non solùm à DEO, sed ab Angelis etiam, creatis nempe spiritibus aliis, distinguatur, qui, quamvìs incorporeæ & intellectivæ substantiæ dicantur, nullo tamen fædere, aut ordine ad humana corpora diriguntur, ut unà cum illis compositum

„*nulla corpora. Nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec ullum „denique corpus. Non autem ideo nos, qui talia cogitamus, nihil esse: repugnat „enim, ut putemus id, quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere. „Ac proinde hæc cognitio:* Ego cogito ergo sum, *est omnium prima, & „certissima, quæ cuilibet ordine philosophanti occurrat*„.

(*a*) *Lib: 2. de liber. arbitr: cap: 3. n. 7. ubi inducitur* Alipius *disputans contra* Evodium *in favorem existentiæ Dei per hæc verba:* „*Priùs abs te „quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium: Utrum tu ipse sis? Annè forte „tasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, quum utique, si non esses, falli „omnino non posses?*„. (*b*) *Johan: Agnani loc: cit: Sect: 2. cap: 4. n. 8. pag. mihi 241,* (*c*) *De quantit: anim: n. 12. al: cap: 13.*

situm aliquod efformetur. Proin motus, quos genii mali edunt in idolis, aut energumenis, respectu horum non sunt vitales.

V. Quandoquidem verò Dissertatio *de Commercio Animæ cum corpore*, in materia scilicet cùm de se perdifficili, tum ob diversas hac in re Philosophorum hypotheses abstrusissima, operâ Clarissimi Viri edita publicam ex hocce loco non ita pridem lucem aspexit (a); non relinquitur nobis, nisi ut characteres illos cuique Animæ Rationali certò competentes, ab iniquis, ne quid ampliùs dicam, eorumdem corruptoribus, spiritualitatem scilicet, indeficientiam, unitatem, libertatem, verum denique essentialis sive substantialis corporis humani Formæ titulum, ascitis undequaque Sacrarum nempe Literarum, Patrum ac Philosophorū cùm Veterum, tum Recentium (quid enim refert à quo discas, dummodò vera discas?) præsidiis, Duce S. Thoma Aquinate (b) vindicemus. Sed memores juramenti in Professione Fidei non semel emissi (c); tum ad præfigendas dicendorum Regulas, sequentia præmittere visum est:

VI. „Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit sub„stantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathe„ma sit„ (d).

VII. „Si quis animas humanas dicit priùs in cælesti habitatio„ne peccâsse, & per hoc in corpora humana interjectas (alii legunt: „in

(a) *Annô 1768. die 12. Febr:* (b) *Urbanus VI.* „*Venerabili Episcopo Tho„losano, & dilectis filiis Cancellario, Ecclesiæ Tholosanæ, universisque Magistris „& Doctoribus &c. Nos attendentes, quantâ à Deo scientiâ dotatus univer„salem Ecclesiam illustraverit, ac B. Augustini vestigia sequens eam doctrinis quàm „plurimis adornaverit, volumus, & tenore præsentium vobis injungimus, ut ejus „doctrinam tamquam veridicam & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare„.* *Innocentius V.* „*Hujus Doctoris sapientia præ cæteris, ex„ceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem „sententiarum: ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis „deviâsse, & qui eam impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus„. Ha„bentur hæc initiô Summæ Ejusdem S. Doctoris cui accinit P. Petrus Labbe ex „Soc: Jesu:„ Mysteriorum compendium est Summa Thomæ: Collegit in ea, „quidquid doceri potuit, aut sciri„.* (c) „*Cætera item omnia à Sacris Cano„nibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo „tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque con„traria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & rejectas, & „anathematizatas ego pariter damno, rejicio & anathematizo„. Ex Formula Profession: Fidei à S. Pio IV. præscripta.* (d) *Concil. Bracharen: I. Can: 5.*

„in terram dejectas) ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit„ (a).

VIII. „Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis ve-„niſſe, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizarent. „Tales igitur impietatis inventores, & ſimilia ſentientes, cùm Ve-„tus & Novum Teſtamentum, omnesque Eccleſiæ Patres UNAM „Animam rationalem habere hominem aſſeverent, Sancta & Univer-„ſalis Synodus anathematizat„ (b).

IX. „Unum eſt univerſorum principium, Creator omnium vi-„ſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium; Qui ſua omni-„potenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo con-„didit creaturam ſpiritualem & corpoream, Angelicam videlicet & „mundanam, & deinde humanam quaſi communem, ex ſpiritu & „corpore conſtitutam„ (c).

X. „Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut „vertentem in dubium, quòd Subſtantia Animæ rationalis, ſeu in-„tellectualis, verè ac perfectè humani corporis non ſit FORMA, „velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam Fidei, hoc Sacro „approbante Concilio reprobamus: definientes, ut cunctis nota ſit „Fidei ſinceræ veritas: ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne „ſubintrent, quòd quisquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu te-„nere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis, ſeu intelle-„ctiva non ſit FORMA *corporis humani per ſe & eſſentialiter*, tamquam „hæreticus ſit cenſendus„ (d).

XI. „Cùm diebûs noſtrîs nonnulli auſi ſint dicere de natura „animæ rationalis, quòd *mortalis* ſit, aut *unica in cunctis hominibus*, & „aliqui temere philoſophantes, ſecundùm ſaltèm philoſophiam, ve-„rum eſſe aſſeverant, Sacro approbante Concilio, damnamus & re-„probamus omnes aſſerentes animam intellectivam *mortalem* eſſe, aut „*unicam in cunctis hominibus*, & hæc in dubium vertentes: cùm illa

non

(a) *Idem Can. 6. ut refert Bartholom: Carranza Miranden: in Summa Omn: Concil: hoc tit. pag: mihi 177.* (b) *VIII. Synodus General: quæ eſt Conſtantinop: IV. ſub Adriano II. Can. 11. Annô 869. Carranz: loc: cit: pag: mihi 350. & Jacob: Gordonus tom: 2. Oper: Chronol: pag: mihi 274.* (c) *Concil: Lateran: IV. inter Oecumenica XII. Annô 1215. à Patribus 1280. contr: Albingenſes congregatum, ut refert Horvath Inſtit: Metaph: Diſſert: 3. cap: 4. §. 1. n. 335. Barth: Carranza loc: cit: pag: mihi 259. Jacob: Gordonus loc: cit: pag: mihi 361. Bellarm: lib: 1. de Concil: cap: 5.* (d) *Conc: Viennens: Generale XV. ſub Clemente V Annô 1311. ex quo deſumpta eſt Clementina* de Summa Trinitate & Fide Catholica. *Barth: Carranz: loc: cit: pag: mihi 267. Jac: Gordon: loc: cit: pag: mihi 389.*

„non solùm *verè*, & *per se* & *essentialiter* humani corporis *forma* exi-„stat, sicut in Canone Clementis Papæ V. in Generali Viennensi „Concilio edito continetur (Num: præc:); verùm & IMMORTALIS, „& pro corporum, quibus infunditur, multitudine *singulariter multi-„plicabilis*, *& multiplicata*, *& multiplicanda*. Quod manifestè constat ex „Evangelio cùm Dominus ait: *Animam autem occidere non possunt* (a). „Et alibi: *Qui odit animam suam in hoc mundo &c*: (b). Et etiam, cùm „æternam pænam, & æterna supplicia pro merito vitæ judicandis re-„promittit (c); aliàs Incarnatio, & alia Christi Mysteria nobis mini-„mè profuissent: nec resurrectio expectanda foret, ac Sancti& justi „miserabiliores essent, juxta Paulum (d), omnibûs hominibûs.

„Cùmque verum vero minimè contradicat, omnem assertionem „veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, „& ut aliter dogmatizare non liceat, districtiùs inhibemus. Omnes-„que hujusmodi erroneis assertionibus inhærentes, tamquam hæreti-„cos vitandos, & puniendos fore decernimus.

„Insuper *omnibus & singulis Philosophis* in Universitatibus Studio-„rum Generalium & alibi publicè legentibus *districtè præcipimus*, ut „cùm Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta „fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explicaverint, „quale hoc de *immortalitate animæ*, aut *unitate*, & mundi æternitate, „ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christia-„næ omni conatu manifestam facere, & persvadendo, pro posse do-„cere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cùm „omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resolvere.

„Statuimus insuper, ne quis de cætero in Sacris Ordinibus con-„stitutus, in Studiis Generalibus, vel aliàs publicè audiendo, Phi-„losophiæ aut Pòësis studium ultra quinquennium post Grammati-„cam & Dialecticam, sinè aliquo studio Theologiæ, aut Juris Ponti-„ficii, incumbat, verùm exactô dictô quinquenniô, si illis studiis in-„sudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul, aut seorsum „Theologiæ, aut Sacris Canonibus operam navaverit, ut in his san-„ctis & utilibus professionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde „infectas Philosophiæ & Pòësis radices purgare & sanare valeant.

„Hos Canones per Ordinarios Locorum, & Rectores in Uni-„versitatibus singulis annis in principio studii in virtute sanctæ obe-„dientiæ publicari mandamus„ (e). XII.

(a) *Matt: 10. 28.* (b) *Joan: 12. 25.* (c) *Matt: 25. 46.* (d) *1. Cor: 15. 19.* (e) *Conc: Lateran: V. sub Leone X. Sess: 8. 19. Decemb: 1513. in Bulla* Apostolici Regiminis. *Barth: Carranz: loc: cit: pag: mihi 288. Jac: Gordon: loc: cit: pag: mihi 448.*

XII. „Omnia de necessitate absoluta eveniunt„ (a).

XIII. „Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit„ (b).

XIV. „Is libertatis modus, qui est à necessitate sub libertatis „nomine, non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à „peccato„ (c).

XV. „Sola violentia repugnat libertati hominis naturali„ (d).

XVI. „Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò „facit„ (e).

XVII. „Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter„ (f).

XVIII. „Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque „vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac „præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam „nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit„ (g).

XIX. „Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo „(XVII.) immo titulum sinè re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit„ (h).

XX. „Videtur probabile omnem fætum, quamdiu in utero est, „carere animâ rationalî, & tunc primùm incipere eamdem habere, „cùm paritur; ac consequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi„ (i).

XXI. „Animas hominum dicimus non esse ab æterno inter cæteras intellectuales naturas, ùt Academici quidam finxêre: nec simul à constitutione mundi (IX.) creatas, ùt Origenes, sed simul „creando infunduntur, & infundendo creantur„ (k).

XXII.

(a) *Proposit: 27. Joannis Vicleffi damnata in Concil: Constantien: Barth: Caranz: loc: cit:, pag: mihi 270.* (b) *Prop: 39. Baji damnata à Pio V. & Urbano VIII.* (c) *Prop: 41. ejusd: damnata ab iisd:* (d) *Prop: 66. ejusd: damnata.* (e.) *Prop: 67. ejusd: damnata.* (f) *Prop: 36. Lutheri damnata à Leone X. per Bullam* Exurge Domine. *1520.* (g) *Concil: Trident: Sess: 6. de justif: Can: 4. 13 Jan: 1547.* (h) *Idem Conc: loc: cit: Can: 5.* (i) *Propositio cujusd: Medici, ùt refert Martin: VVvigant Tract: 17. Appen: 1. Exam: 3. de Prop: damn: pag: mihi 759. ab Innocentio XI. 1679. „Homicidii enim festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat „animam, an nascentem disturbet„. Tertul: Apol: cap: 9.* (k) *S. Augist: de Eccles: Dogmat: cap: 17.*

XXII. ,,Quia quod à Summa Veritate procedit, falsum esse non ,,potest, nec necessaria ratione impugnari valet, quod falsum non ,,est, Fides nostra necessariis rationibûs sicut probari non potest: ,,quia humanam mentem excedit; ita improbari necessaria ratione ,,non potest propter sui veritatem. Ad hoc igitur debet tendere ,,Christiani disputatoris intentio in articulis Fidei, non ut Fidē probet, ,,sed ut Fidem defendat: unde & B. Petrus (a) non dicit: *parati* ,,*semper* ad probationem, sed *ad satisfactionem*, ut scilicet rationabiliter ,,ostendatur non esse falsum, quod Fides Catholica confitetur,, (b).

XXIII. ,,Quælibet res ex atomis minutissimis corpusculis con- ,,stituitur, & quando atomi dividuntur, res corrumpuntur: quando ,,uniuntur, res generantur,, (c). ,,Formæ omnes substantiales, ex- ,,ceptâ rationali, non minùs absurdè defenduntur ab Aristotelicis, ,,quàm materia, cùm per eas intelligunt substantias quasdam incom- ,,pletas, unum per se cum materia substantiale compositum constitu- ,,entes. Materiâ enim è materiali composito sublatâ, & formas sal- ,,tèm materiales tolli necesse est. --- Hæc propositio est temeraria, ,,erronea, & hæresi proxima,, (d).

 CON-

(*a*) *1. Epist: cap: 3. 15.* (*b*) *S. Thomas Opusc: 3. contr: Græcos cap: 2.* ,,*Si quid in dictis Philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est phi-* ,,*losophiæ, sed magìs philosophiæ abusus, ex defectu rationis*,,. *Idem Opusc: 70. sup: Boët. de Trinit: q. 2. art: 3.* ,,*Si verè Ecclesiæ Decretis reluctetur re-* ,,*cens aliqua opinio --. ùt reluctari hactenus plures contenderunt: non clara, non* ,,*legitima, utì jactitant, sed certò spuria, fallax, vanaque est idea, quam se ha-* ,,*bere super eadem gloriantur: nec eam ratio fecerit, sed arbitrium. Non docu-* ,,*it natura, sed deceptio, vel genius*,,. *Johan: Agnani loci cit: Sect: 1. cap: 13. n. 7. concl: 3. pag: mihi 108.* (*c*) *Legitur hæc propositio, in Directorio Inquisitorum part: 2. quæst: 4. num: 12.* inter hæreses & errores antiquorum philosophorum, *ùt refert P. Seraph: Piccinard: lib: 4. Dogmat: Philosop: quæst: 4. art: 1. pag: mihi 373. qui insuper addit:* ,,*Hæc propositio separatur ab alio errore posito num: 11. de negatione Providentiæ ex fortuito motu atomorum*,,. (*d*) *Censura Parisiensium Theologorum Annô 1624. qui etiam hanc Propositionem antecedenter damnârunt:* Materia prima, quam pro principio transmutationis subjectivo constituunt Peripatetici, sive existentiam habeat à seipsa, sive à forma, commentitia prorsus est, & sinè ullo planè fundamento excogitata. In generationibus enim, quas ipse Aristoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus est, & cum eo cæteri, qui ejus sententiam amplectuntur. --- Hæc propositio prima est temeraria, & erronea in fide. *ùt refert idem loc: cit. post finem lib: 4. tom: 1. in notis pag: mihi 444. & 445. & Johan: Agnani loc: cit: Sect:*

CONCLUSIO I.

XXIV. ANima Rationalis est Substantia spiritualis. *Revertatur pulvis* (corpus humanum ex pulvere formatum) *in terram suam, unde erat, & spiritus* (anima rationalis) *redeat ad Deum, qui dedit illum* (a). *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt* (b). *Ipse Spiritus* (hoc est Deus) *testimonium reddit spiritui nostro* (animæ nostræ rationali) *quòd sumus filii Dei* (c). ergo cùm Deus sit purè & propriè spiritus omnino immaterialis, proportionaliter dicendum, animam rationalem esse purè & propriè spiritum omnino incorporeum. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* (d). Quid clariùs? Spiritus ergo est D. Pauli Sententiâ id, quod in homine scit, quæ sunt hominis: spiritus ergo est id, quod in homine cogitat, ac intelligit: spiritus ergo est anima hominis. (IX). Necesse enim est, ut ea sit anima spiritualis seu incorporea, quæ habet facultates & operationes spirituales: neque enim modus operandi, seu effectûs potest esse perfectior modô essendi, aut suâ causâ. Jam sic est, quòd anima rationalis habet operationes, ac proinde facultates spirituales cùm ex parte intellectûs, tum ex parte voluntatis. *Ex parte quidem intellectûs*: hic enim est potentia universalis ad omne ens tam materiale, quàm spirituale, sive creatum, sive increatum; siquidem versatur circa Angelos, ipsumque Deum, ac Ejus Perfectiones: Bonitatem, Justitiam, Sapientiam &c: cognoscit, quid sit homo in communi, quid beneficium, quid injuria, quid amor, quid odium? Res multas novit per abstractionem à materia: varii generis scientias, & omnia naturæ arcana

2. *cap: 8. num: 12. pag: mihi 311. Rectè Bened: Plazza Part: 2. Dissertat: Biblico-Physicæ cap: 5. n. 165. pag: mihi 141.* „*Pergant igitur solertissimi* „*Recentiores, novis experimentis, observationibus, crisibus, rem literariam, ut* „*hactenus laudabiliter fecerunt, promovere: dum tamen Sacram Scripturam, Fi-* „*dei disciplinam, Ecclesiæque auctoritatem, sartas tectas usque habeant: ut Ca-* „*tholicorum hominum Philosophia illis prædita sit dotibus, quas supernæ Sapi-* „*entiæ proprias esse dixit D. Jacobus in sua Epist: Can: cap: 3. v. 17.* Quæ „de sursum est Sapientia, primùm quidem Pudica est, deinde Pacifica, „Modesta, Svadibilis, Bonis consentiens, Plena misericordiâ, & fru- „ctibus bonis, non judicans, sinè simulatione„.

(*a*) *Eccle: 12. 7.* (*b*) *Matt: 10. 28.* (*c*) *Rom: 8. 16.* (*d*) *1. Cor: 2. 11.*

arcana subtilissimè discurrendo prosequens (a). „Consequentia cer„nit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi „antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsen„tibus adjungit, atque adnectit futuras„ (b). Discernit corporea ab incorporeis, sese etiam ad suas operationes reflectendo: quod certè fieri non potest à potentia, quæ determinata est ad certa objectorum genera, tantùmque attingit materialia. Quid verò, quod ipsa quoque corporea objecta eo cognitionis genere sæpissimè concipiuntur, quod à corporea perceptione mirificè abhorreat? Ita corporea sensuum perceptio *Antipodas* velut homines capite deorsum inverso incedentes nobis exhibet; eos tamen reluctante licèt sensu nostro, rectos telluri insistere percipimus. *Ex parte verò voluntatis*: hæc enim in homine imperat appetitui sensitivo, ipsoque corpore velut instrumento utitur pro libito varios in fines; proindeque debet esse altioris ordinis ad facultates omnes corporeas, atque superest, ut dicatur spiritualis. Item sibi ipsi imperat, ita, ut positîs omnibûs ad agendum prærequisitîs possit agere vel non agere, tum si lubet agere frequenter contraria, aut omnem actum suspendere; nec potest

(a) „Nonne humano ingenio tot tantæque artes sunt inventæ, & exercitæ, par„tim necessariæ, partim voluntariæ; ut tam excellens vis mentis, atque ratio„nis in his etiam rebus, quas superfluas, imò & periculosas, perniciosasque ap„petit, quantum bonum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire, vel di„scere, vel exercere, testetur? Vestimentorum & ædificiorum ad opera quàm „mirabilia, quàm stupenda, industria humana pervenerit: quò in agricultura, „quò in navigatione profecerit: quæ in fabricatione quorumque vasorum: vel etiam „statuarum, & picturarum varietate excogitaverit, & impleverit: quæ in theatris „mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia facienda, & exhibenda molita „sit: in capiendis, occidendis, domandis irrationabilibus animantibus quæ & „quanta repererit: adversùs ipsos homines tot genera venenorum, tot armorum, „tot machinamentorum, & pro salute mortali tuenda, atque reparanda quot me„dicamenta, atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate faucium quot con„dimenta, & gulæ irritamenta repererit: ad indicandas, & svadendas cogita„tiones quam multitudinem, varietatemque signorum, ubi præcipuum locum ver„ba, & literæ tenent: ad delectandos animos quos elocutionis ornatus, quàm di„versorum carminum copiam: ad mulcendas aures quot organa musica, quos can„tilenæ modos excogitaverit: quàm denique multa rerum mundanarum cogitati„one se impleverit, quis possit eloqui, maximè, si velimus non acervatim cuncta „congerere, sed in singulis immorari?„ S. Augustin: lib: 22. de Civ: Dei cap: 24. Et in hæc apta, sufficiensque erit ulla materia, quavis demum tenuitate, motu aut figura instructa? (b) Cic: lib: 1. de offic: cap: 4.

cogi vel necessitari per se directè ab ulla creatura (LVII.). Quæ quidem convenire non possunt, nisi agenti spirituali: nam corporea omnia, ùt patet, ex se sunt determinata ad unum, possuntque per se & directè vim pati à causis extrinsecis creatis. Item diligimus, quæ nullo sensu percepta unquam fuêre; quin etiam illa diligimus, quæ sensuum judiciô contemni potiùs, ac despici, quàm amari posse viderentùr: „Quid enim in Sanctis, quid in Martyribus amamus? „membra laniata à feris? quid fædiùs, si oculos carnis interroges? „quid tibi videtur adolescens pulcherrimus fur? quomodò horrent „oculi tui? numquid oculi carnis horrent? si ipsos interroges, nihil „illo corpore compositius, nihil ordinatius: & parilitas membrorum, „& coloris delectatio illicit oculos; & tamen, cùm audis, quia fur „est, fugis hominem animô. Vides ex alia parte senem curvum, ba„culo innitentem, vix se moventem, rugis undique exaratum, quid „vides, quod oculos delectet? audis, quia justus est, amas, ample„cteris„ (a). Atque id est, quod docet S. Thomas: „Necesse est „dicere id, quod est principium intellectualis operationis, quod di„cimus animam hominis (II), esse quoddam principium incorporeum „& subsistens (b). Manifestum est enim, quod homo per intelle„ctum cognoscere potest naturas omnium corporum. Quod autem „potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua „natura: quia illud, quod inesset ei naturaliter, impediret cognitio„nem aliorum; sicut videmus, quòd lingua infirmi, quæ infecta est „cholerico & amaro humore, non potest percipere aliquid dulce, „sed omnia videntur ei amara. Si igitur principium intellectuale „haberet in se naturam alicujus corporis, non posset omnia corpora „cognoscere. Omne autem corpus habet aliquam naturam determi„natam. Impossibile est igitur, quòd principium intellectuale sit „corpus. Et similiter impossibile est, quòd intelligat per organum „corporeum: quia enim natura determinata illius organi corporei „prohiberet cognitionem omnium corporum: Sicut si aliquis deter„minatus color sit non solùm in pupilla, sed etiam in vase vitreo, „liquor infusus ejusdem coloris videtur. Ipsum igitur intellectua„le principium, quod dicitur mens, vel intellectus, habet operati„onem per se, cui non communicat corpus. Nihil autem potest per „se operari, nisi quod per se subsistit. Non enim est operari, nisi „entis in actu. Unde eo modo aliquid operatur, quo est. Propter „quod non dicimus, quòd calor calefacit, sed calidum. Relinqui„tur

(a) *S. August: tract: 3. in Joan: num: 21.* (b) *Id est | potest se solo sustinere suum esse, sive non egens comparte, & fulcimento ad sustentandum suum esse.*

„tur igitur animam humanam, quæ *dicitur* intellectus vel mens, „esse aliquid incorporeum & subsistens„ (a).

XXV. Jam qui spiritualitatem animæ rationalis negant, rationenè illi utuntur, an auctoritate? *Rationes* quàm sint pueriles, facilè constat. Equidem animum esse corporeum ex corporis & animi consensu, nonnisi ineptè probaveris. Scilicet cùm Deus hominem ex animo & corpore constare voluisset, efficere debuit, ut inter utrumque harmonia esset perpetua, alioquin monstrum biceps fecisset. „Sed qua ratione, inquiunt, incorporeum afficit corporeum, & hoc „illud? Corporeum ab incorporeo affici & moveri clarè percipio, „cùm omnes vires motrices sint incorporeæ: ratione & viam ignoro. „At it non efficit, quominus primum cognoscam„ (b). „Numquid „ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non po- „test, quod occultum est? Numquid inquam propterea dicturi su- „mus, quod ita esse perspicimus, non esse; quoniam, cur ita sit, „non possumus invenire?„ (c). Quòd verò anima cogitet secundùm motiones cerebri & sensuum, id unum sequitur, quòd sit ita à Deo facta, ut non possit, quamdiu in corpore est, alio modo operari. Dependet itaque anima (non quidem pro omni statu, sed pro illo conjunctionis) à materia non tamquam à subjecto sustentationis, ex quo educatur, vel cui immediatè inhæreat, sed tamquam à subjecto informationis, vel tamquam ab objecto, vel tamquam à ministra, ad ipsam referente objectum, ipsique illud offerente, ut possit ab eo species intelligibiles desumere, vel denique tamquam à conditione sinè qua non: finis enim animæ etiam est, ad tempus pro hoc statu informare corpus organicum; hoc igitur non dato, deest conditio, sub qua natura exigit produci animam. Dependet item anima in sui cognitione à phantasmate, mediatè, & ratione unionis cum corpore, qua unione sublata, tollitur etiam hæc dependentia. Anima enim de se indifferens est ad hanc vel aliam cognitionem: ergo ad unam præ altera determinari debet ab objectis. Objecta hæc animæ corpori suo unitæ non sunt immediatè applicata; applicari itaque debent per phantasma, quod per motum in organis sensoriis ab objectis efficitur. Et quoniam phantasmata hæc effici ab objectis nequeunt, nisi organa corporis ritè sint dispósita, patet, quomodò anima etiam ab his in operando dependeat, inquantum pro diversa hac dispositione diversam quoque facilitatem in suis actionibus experitur, id quod nuper edita de Commercio Animæ cum corpore

Disser-

(a) *1. p. q. 75. art: 2* (b) *Anton: Genuen: part: 2. Element: Metaph: cap: 1. Prop: 14. n. 11, pag: mihi 98.* (c) *S. August: lib: de dono persever: n. 37.*

Dissertatio (V.) palam fecit. Hinc, dum sensim adolescimus, non anima, sed organa corporis perficiuntur. Dum res intentiùs speculando diu immoramur, non fatigatur anima, sed spiritus animales exhauriuntur, ac cerebri fibrillæ diuturna tensione debilitantur: illîs verò exhaustîs, hîs debilitatîs, majorem in actione sua difficultatem sentit anima. Neque ad sui, sed organorum corporis conservationem alimentîs materialibûs indiget anima, dum illa ex horum defectu sensim destruuntur: proin anima, propriè si loqui velis, non esurit, sed solùm sentit molestiam ex imbecillitate organorum in suas actiones redundantem. Illa verò paritas: cognitio spiritualis attingit corpus sive ens materiale: ergo etiam cognitio materialis attingere potest spiritum; est planè nulla: contingit enim, ut potentia superior possit se extendere ad objectum potentiæ inferioris, at non vicissim. Deinde objectum materiale quodcumque hoc ipso, quòd aliquid sit, est cognoscibile ac *intelligibile*; continetur itaque intra objectum adæquatum actûs cognoscitivi: ergo materiale bene potest attingi cognitione sive materiali sive spirituali. At, quod est intelligibile, uti spiritus, non hoc ipso est *sensibile*, adòque nec objectum cognitionis materialis. Neque prætermittendum est, duplicem in homine cognitionem admitti debere, corpoream scilicet, & incorpoream. *Corporea* vocatur, quæ ad corporea objecta dirigitur, corporeîs ideîs, atque imaginibûs peragitur, corporeîs organîs, sive sensoriîs acquiritur. *Incorporea* verò dicitur, quæ ad incorporea objecta dirigitur, nullius phantasmatis ope, nullaque prorsus corporea imagine, aut corporis sensu comparatur. Quod autem in hominibus purius hoc etiam perceptionis genus admitti debeat, intimo sensu experimur. Quis enim ignoret ab intellectu nostro *tempus*, *veritatem*, *justitiam*, *existentiam &c.* aliaque id genus plurima subinde percipi, quæ prorsus abstracta, incorporea, ac insensibilia sunt, nullaque prorsus corporea imagine exprimi possunt (a). Licèt itaque ex Brutorum exemplo corpoream quamdam cognitionem ex corporea quadam forma, qualis esse Brutorum anima dicitur, oriri posse concedatur, incorporea tamen perceptio ex incorporea solùm substantia oriri poterit; adeòque, licèt incorporea animi nostri natura ex singulis ipsius actibus, aut corporeis etiam perceptionibus inferri non posset, ex incorporeis tamen actibus ac perceptionibus inferri illa debet. *Auctoritas* verò esse non potest, nisi plebejorum, quos non negamus, mentes sibi velut sub-

tilia

(a) ,,*Si corporea corporeîs oculîs mira quadam rerum cognatione cernuntur*, ,,*oportet Animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusque non esse*,,. *S. August: Solil: lib: 2. cap: 19. & de Quantit: Anim: cap: 4 al: 13.*

tilia corpora repræsentare. Quodsi plures cùm ex Veteribus, tum ex Recentioribus etiam occurrunt, qui Animam Rationalem corpoream existimârunt, conjicere facilè possumus, illos non alia de causa in opinionem illam abreptos fuisse, nisi quòd nitidam atque accuratam incorporeæ substantiæ, vel spiritûs ideam concipere vel efformare non poterant (a): intellectus equidem noster corporeis imaginibus assvetus, corporeas affectiones illas reponere vix potest, adeoq; in illarum quoque rerum, quæ prorsus incorporeæ sunt, ideis efformandis ad corporea phantasmata relabitur. Nec alia sanè de causa Tertullianus ipse (b), aliique nonnulli Veteres Ecclesiæ Patres, Animam humanam aut corpus esse, aut ex subtiliori quadam, puriorique materia constare dixerunt, nisi quòd illi incorpoream quamdam substantiam concipere vix poterant, ideòque quidquid existeret, atque à *nihilo* distingueretur, corpus esse putârunt, ùt de Tertulliano disserens observavit S. Augustinus (c). Vel intantum animas hominum corporeas vocârunt, quia ex se incorporeitatem non habent independenter à causa efficiente, quo sensu solus DEUS est immaterialis: vel quia habent determinatum in Universo locum, extra quem non inveniuntur, suoque etiam subjecto insunt, saltèm ad tempus. Vel denique Animæ hominum sunt corpora non *compositivè*, ita ut componantur ex corpore; sed *effectivè*, quatenus efficere possunt corpora aërea, vel ignea, & in eis apparere, ac videri à nobis. Totum hujus rei negotium ex diversa corporis & spiritûs notione ac idea oritur. Porro in Sacris Literis (d) „Sic dictum est: *Anima omnis* „*carnis sanguis est*, quomodò dictum est (e): *Petra erat Christus:* non „quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non autem frustrà „Lex Animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet invisi„bilem per rem visibilem: nisi quia sanguis per venas omnes dif„fusus in nostro corpore, plus cæteris humoribûs principatur, ita, ut „ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse pro„cedat. Ita quoque Anima, quia omnibus, quibûs constamus, in„visibiliter prævalet, illo meliùs significatur, quod omnibus, quibûs constamus

(a) „*Si quis dicat existere aliquid, quod non sit corpus, statim despiciunt, ni*„*hilque aliud, quàm corpus, audire volunt*„. *Plato in Sophista.* (b) *Cùm au*„*tem sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si habet aliquid, per quod* „*est, hoc erit corpus ejus. Omne, quod est, corpus est sui generis: nihil est in*„*corporale, nisi quod non est*„ *Tertul: de Anim: cap: 7.* (c) *Lib: 10. de Gen: ad lit: cap: ult:* „*Quia corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit,* „*nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit; & ideò timuit, ne nihil esset,* „*si corpus non esset*„ (d) *Levit: 17. v. 11. & 14.* (e) *1. Cor: 10. 4.*

„constamus, visibiliter prævalet„ (a). Anima Lazari dicitur (b) collocata in sinu Abrahæ eo loquendi modo, quo dicitur Christus *sedere ad dexteram Patris*, aut (c) *Justorum animæ esse in manu Dei*, scilicet Metaphoricè.

XXVI. *Scholion.* Substantia corporea & spiritualis mutuò sibi opponuntur, proin & opposítas habent proprietates & affectiones, utpote quæ diversam naturam consequuntur. Unde cùm primaria corporis attributa sint, esse extensum, impenetrabile, divisibile, mensurabile &c: nullum ejusmodi competit spiritui per naturam. Quare quidquid est spiritus, corpus esse nequit; & omnis substantia, quæ corpus non est, spiritus erit. Spiritus autem Cartesianis est: *Substantia cogitans*, aliis: *Principium cogitandi*, vel *substantia cogitandi capax*. Displicent multis hæ definitiones, utpote ex quibus sequitur, animas brutorum esse propriè spiritus: cùm sint cognitionum capaces. Quod si cum aliis illud *cogitare* restringere velis ad *distinctam* rerum cognitionem, & appetitum electivum, non est cur magnopere obstrepam iis, qui non re, sed verbîs dissentiant. Meliùs per spiritum alii intelligunt *substantiam intellectu & voluntate libera præditam*, *entitativè inextensam*, *atque in partes integrales prorsus indivisibilem*. Hinc fit, notionem entis spiritualis seu immaterialis pro hoc statu vitæ non aliunde excitari in nobis posse, quàm ex idea entis corporei seu materialis, quod nobis notius est, abstrahendo videlicet, ac veluti depurando ideam entis à notis characteristicis *corporis*, proindeque negando illas notiones de *Spiritu*, quæ *corpori* ùt corpori conveniunt.

XXVII. *COROLLARIUM I.* Absurdissimum ac impiissimum est asserere cum Euripide (d): Animam humanam esse ipsum Deum, prout cæteras Universi partes, sic etiam singula corpora humana permeantem, & animantem: quem secuti Manichæi (e), & novissimè Spinoza (f). Nam, ut cætera, quæ hic opinandi modus complectitur, errorum portenta dissimulem, consequens foret, ut nihil ignoraret

(a) *S. August: lib: 2. contr: Adversarium legis & Prophet: cap: 6. ùt refert Benedict: Plazza Dissert: Biblico-Physic: part: 2. cap: 3. n. 77 pag mihi 65.* (b) *Luc: 16. 23.* (c) *Sap: 3. 1.* (d) *Testatur hanc Euripidis doctrinam Cic: Tusc: Quæst: cap: 26.* (e) *Qui teste S. Augustino lib: 7. sup Gen: ad lit: cap: 11. non aliud dixerunt„ esse animam, quàm ipsam Dei substantiam, atque id „omnino, quod Deus est„.* (f) *Part: 2 prop: 11. asserens: „Mentem humanam partem esse intellectûs Dei: ac proinde, quum dicimus mentem humanam „hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quàm quòd Deus est, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, si ve „quatenus humanæ mentis essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam„.*

raret mens humana: *cur* enim quidpiam *ignoraret*, quærit Cicero (a) *si foret Deus?* nec ullas confusas & inadæquatas ideas haberet; nec in ullo laberetur, erraretque; nec quidquam pati, aut ineptè, impudenter, improbè agere posset: opposita tamen omnia esse quis nescit, vel negare ausit? Vel, ùt contrariè arguit D. Augustinus (b) consequens est, ut substantia Divina sit ignorantiæ, errori, depravationi, violationi obnoxia: „Animam, inquit ille, videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio Animæ ostendit mihi, quòd anima non sit Deus. Nam, si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere„: imò ne cogitare quidem. Procul itaque tantum commentum à mentibus fidelium! (IX.).

XXVIII. *COROLLARIUM II.* Anima humana non est particula ex substantia Divina decerpta, ùt Pythagoræ (c) placuit: aut *pars Dei*, quod à Stoicis, Marcionitis, Priscillianistis, atque Manichæis hæreticis admittebatur (VI). „Non vident (qui ita sentiunt), distractione humanorum animorum discerpi & lacerari Deum: & cùm miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram; quod fieri non potest„ (d). „Anima humana est quandoque intelligens in potentia, & scientiam quodammodò à rebus acquirit, & habet diversas potentias: Quæ omnia aliena sunt à Dei natura, qui est Actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in se diversitatem habens. --- Unde manifestè falsum est, Animam esse de substantia Dei„ (e). Hanc opinionem consequuntur etiam absurda (Num: præced:) relata. Si dicas: *Formavit Deus hominem, --- & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (f); qui autem spirat aliquid à se emittit: „Inspirare non est accipiendum corporaliter: sed idem est Deum inspirare, quod spiritum facere. Quamvis & homo corporaliter spirans non emittat aliquid de sua substantia, sed de natura extranea„ (g).

XXIX. *COROLLARIUM III.* Tertullianus, aliique plures Ecclesiæ Veteres Patres, ut originalis peccati, quo universi Adæ posteri inficiuntur, diffusionem, ac veluti propagationem faciliùs exponerent, existimârunt animas humanas ex parentibus in filios per vir-

(a) *Lib: 1. de natur: Deor: cap: 11.* (b) *Contr: Fortunatum Manichæum disp. 1 num: 2.* (c) *Qui teste Cicer: lib: 1. de natur: Deor: cap: 11. Deum definit „Animum per naturam rerum omnium intentum, & commeantem,* ex quo „nostri animi carperentur„. (*d*) *Cic: loc: cit:* (*e*) *S. Thom: 1. p. q 90. art: 1.* (*f*) *Gen: 2. 7.* (*g*) *S. Thom: loc: cit: ad 1.*

tutem ſeminalem traduci, ut quemadmodùm nempe ex accenſa face ignis in faces alias diffunditur, traducitur ac propagatur, ita quoque Parentum Anima in filios traduci, diffundi vel propagari poſſet. Rem hanc aliquando ſub dubio reliquit S. Auguſtinus (a), oppoſitum tamen alibi clarè docet (XXI.), ac poſt eum D. Thomas: „Ponere animam intellectivam à generante cauſari: nihil eſt aliud, „quàm ponere eam non ſubſiſtentem, & perconſequens corrumpi „eam cum corpore. Et ideo hæreticum eſt dicere, quòd anima intellectiva traducatur cū ſemine„ (b). Cùm enim Anima incorporea ſit (XXIV.); nullîsque partibûs componatur (XXXIV.); varias in partes dividi, diffundi vel propagari non poteſt. Unde ſic: vel virtus ſeminalis eſſet à carne, & tunc anima eſſet carnalis, & corporea; vel à ſpiritu, & tunc vel totus ſpiritus patris tranſiret in animam filii, & ſic remaneret pater ſinè anima; vel pars; & ſic anima foret diviſibilis & materialis. Eleganter hac de re Lactantius: „Illud quoq; „venire in quæſtionem poteſt: utrumnè anima ex patre, an potiùs „ex matre, an verò ex utroque generetur? Sed ego id meo jure „ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum eſt: quia „neque ex utroque, neque ex alterutro ſeruntur animæ corporibus. „Corpus enim ex corporibus naſci poteſt; quoniam confertur aliquid „ex utroque: de animis anima non poteſt; quia ex re tenui & in„comprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum anima„rum ratio uni ac ſoli Deo ſubjacet. Denique Cæleſti ſumus omnes „ſemine oriundi, omnibus ille idem pater eſt, ùt ait Lucretius. nam „de mortalibus non poteſt quicquam, niſi mortale generari: nec pu„tari pater debet, qui transfudiſſe, aut inſpirâſſe animam de ſuo „nullo modo ſentit; nec, ſi ſentiat, quando tamen, aut quomodo „id fiat, habet animo comprehenſum. Ex quo apparet non à pa„rentibus dari animas, ſed ab uno eodemque omnium Patre; qui „legem, rationemque naſcendi tenet ſolus; ſiquidem ſolus efficit. „nam terreni parentis nihil eſt, niſi ut humorem corporis, in quo eſt „materia naſcendi, cum ſenſu voluptatis emittat, vel recipiat; nec „quicquam ampliùs poteſt: & ideo naſci ſibi filios optant, quia non „ipſi faciunt. Cætera jam Dei ſunt omnia, ſcilicet conceptus ſui, „& corporis informatio, & inſpiratio animæ, & partus incolumis, „& quæcumque deinceps ad hominem conſervandum valent: Illi„us

(a) *Ad Renatum Monachum lib: 1. de Anim: & ejus orig: cap: 15. „Dico „etiam ego de anima mea: neſcio, quomodò venerit in corpus meum: neque enim „ego mihi illam donavi. Scit iſte, qui donavit, utrum illam de patre meo „traxerit, an, ſicut primo homini, novam creaverit„.* (b) *1. p. q. 118. art: 2.*

„us munus est, quòd spiramus, quòd vivimus, quod vigemus„ (a). Unde etiam in Sacris Literis, (b) memoratur *Supra modum Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna---pereuntes* Martyriô Antiochiæ *septem filios sub unius diei tempore conspiciens, --- & fæminaæ cogitationi masculinum animum inserens*, dixisse *ad eos: Nescio, qualiter in utero meo apparuistis: neq; enim ego Spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi* (c): *Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem &c:* Cùm verò dicitur: *Cunctæ animæ, quæ egressæ sunt de fæmore Jacob, sexaginta sex* (d): „Ponitur per Synecdochen „pars pro toto, idest anima pro toto homine„ (e). Quodque etiam ad labis originariæ diffusionem attinet, ea per hanc animarum propagationem prorsus malè explicatur. Certè, qui à Parentibus jam baptizatis orirentur, ejusmodi labis expertes essent, nihilque prorsus afferri poterit, cur, si originis peccatum ex parentibus in filios traduci debeat, virtutes etiam ac vitia, cæteræque affectiones omnes, quibûs parentum animæ imbutæ fuerant, in filios unà cum animæ substantia & originali peccato traduci, diffundique non debeant. Quo autem reapse pacto originaria hæc culpa in humanum genus derivetur, Theologorum est inquirere.

XXX. *COROLLARIUM IV.* Wolffius Leibnitium secutus vult inde ab origine mundi Animas præexistere in corpusculis organicis. Scilicet ejus opinione fætus humani generantur in utero materno non ex massa seminis rudi & indigesta; sed ex corpusculis tantæ quidem subtilitatis, quam vix concipere mente, nedum imaginari licet; attamen sua organa, quæ quasi stamina sint, & rudimenta organorum humani corporis, jam obtinentibus; iisque cum animabus statim in prima rerum creatione conditis. Ait porro Animas, quamdiu in hisce corpusculis præexistunt, carere usu rationis, esseque duntaxat in statu perceptionum confusarum & obscurarum, quibûs hoc universum sibi repræsentant convenienter mutationibus, quæ in iisdem corpusculis organicis contingunt (f). Hæc tamen opinio licèt fortè

 non

(a) *De Opific: Dei cap: 19. pag: mihi 526.* (b) *2. Machab: 7. v. 20. & seqq:* (c) „*Mater fæcundior virtutibûs, quando filii passi sunt; quàm fætibûs, quando* „*nati sunt, eos Dei opus esse his verbis declarat:* Et singulorum membra non „ipsa compegi„. *S. August: lib: 1. de Anim: cap: 14.* (d) *Gen. 46. 26.* (e) *S. Thom: loc: cit: ad 1. ubi ad 4. hoc argumentum: Homo generat sibi simile secundùm speciem, sed species humana constituitur per animam rationalem, ergo anima rationalis est à generante, sic solvit:* „*Homo generat sibi simile, inquantum* „*per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formæ*„. (f) *In Psych: Rat. Sect: 4. c: 2. ùt refert Ivancsics Inst: Met: Disp: 4. c. 2. §. 3. n. 512.*

non multùm displiceat novitatis potiùs quàm veritatis amatoribus, à Philosopho Christiano omnino releganda: Tum propter definitionem Ecclesiæ (XXI): Tum, quòd dicta animarum in corpusculis præexistentia gratis asseritur, tantum abest, ut occurrat aliqua ejus ratio; sive auctoritates Sacrarum Literarum, sive mutationes in mundo contingentes spectes: Tum, quòd nullus appareat finis, in quem animæ tot millibûs annorum in ejusmodi corpusculis præexisterent: Tum, quòd dicendum foret, Sanctissimam quoque Christi Animam cum cæteris mox sub initium mundi creatam, suoque corpori unitam à Deo fuisse, quod Mysterio Incarnationis prorsus non congruit. Hac demum opinione posita, non rectè suaderetur promiscuè, & sine omni sexûs, ac personarum discrimine virginitas, hactenus & à Christo Domino (a), & Ejus Apostolo (b) tantopere commendata. Equidem secundùm hanc doctrinam, corpuscula illa organica jam animata, aut per mares, aut per fæminas sunt dispersa. proindeque vel marium, vel fæminarum plures virginitate servata, plurimas animas ab æterna salute impedirent. Cùm igitur iniquum sit suadere, quod in interitum animarum vergit, secundùm hanc hypothesim non posset rectè virginitas indiscriminatim suaderi, sed tantùm illi sexui, aut illi personæ, de qua certum foret, quòd nulla id genus corpuscula organica in se contineat. Eamdem quoque ob causam, nonnisi tali personæ liceret se perpetuò virginitatis votô obstringere. Ecce, quò tendunt ejusmodi Scriptores! Certè textus ille (c) quo *DEUS* dicitur *die septimo* requievisse *ab omni opere, quod patrârat*, quemque Auctor hic pro se allegat; aliud non vult D. Thoma (d) post S. Augustinum (e) Interprete, nisi Deum die illo ita quievisse, ut novas rerum species ad mundi integritatem pertinentes posthac non produceret; non verò quòd nulla etiam nova individua. Abutatur dein illis Scripturæ verbis: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (f): nos verò particulam *simul*, non pro simultate temporis, sed inquantum significat idem, ac æqualiter, pariter, nullo exceptô, accipiendam esse à Sapientissimo Viro didicimus (g).

XXXI·

(a) *Matt: 19 12.* (b) *1 Cor: 7. 7.* (c) *Gen: 2.2.* (d) *1 p. q. 118. art: 3. ad 1.* „*Dicendum, quòd Deus dicitur cessâsse die septimo, non quidem ab* „*omni opere, cùm dicatur Joan: 5. 17.* Pater meus usque modò operatur, „*sed à novis rerum generibus, & speciebus condendis, quæ in operibus primis* „ *non aliquo modo præextiterunt. Sic enim animæ, quæ nunc creantur, præex-* „*titerunt secundùm similitudinem speciei in primis operibus, in quibus anima* „*Adæ creata fuit.* (e) *Lib: 4. sup: Gen: ad lit: cap: 12.* (f) *Eccli: 18 1.* (g) *Auctor Conciliationis Locorum S Scripturæ Part: 1. Antilog: 1. Resp: 2.* „*Particulam* **simul** *pro simultate temporis non sumi, sed significare idem, ac*

XXXI. *COROLLARIUM V.* Longè inverisimilior, magisque erronea fuit Origenistarum (a) assertio, animas omnes ante mundum corporeum in mundo intelligibili esse conditas: subinde autem in Auctorem suum deliquisse, proptereaque veluti pro carcere ipsarum conditum esse mundum corporeum, & ipsas pro diversitate delicti sui in diversa corpora, quæ Cælô, terrâque continentur, esse damnatas. Hoc imprimìs sinè omni ratione asseritur, contra communem philosophandi legem: *Nihil sinè ratione sufficiente.* Deinde, si ante mundum corporeum creavit illas DEUS, quomodò potuit dicere Moyses (b): in principio Ipsum creâsse Cælum & terram? Cur post peccatum simul cum damnatis in infernum non dejectæ? Quia, inquiunt, leviusculè tantùm peccârunt, unde, ut magìs probarentur, detrusæ sunt in corpora. Sed hæc qua facilitate afferuntur, eadem rejiciuntur, stante præsertim definitione Ecclesiæ suprà (VII. IX.) relata.

XXXII. *COROLLARIUM VI.* Ergo Anima rationalis à Solo immediatè Deo creatur & infunditur (IX. XXI.). Cùm enim nullus suppetat modus alius perductionis ejusdem (VII. XXVII. ad XXXI inclusivè) reliquum est, ut fiat per creationem. ,,Cujus ratio est: ,,quia cùm fieri sit via ad esse, hôc modô alicui competit fieri, si- ,,cut

,,*particula* æqualiter, pariter, *ut sensus sit: Deum creâsse omnia pariter, nullo* ,,*excepto; quod Joan: 1. 3. exprimitur his verbis:* Omnia per ipsum facta ,,sunt, & sinè ipso factum est nihil. *Hæc Responsio fundatur tum in* ,,*textu græco, in quo vox* Koin, *pro qua Vulgata habet* simul; communiter, ,,*&* pariter *significat. Tum in usu S. Scripturæ, quæ non infrequenter usur-* ,,*pat* simul pro communiter *&* pariter: *sic Psalm: 48. 11.* Simul insipiens, ,,& stultus peribunt, *& Psal: 52. 4.* Omnes declinaverunt, simul ,,inutiles facti sunt; *hoc est: æqualiter insipiens, & stultus peribunt,* ,,*omnes inutiles pariter facti sunt, non verò simultate temporis,,. Idem Auctor loc: cit: Antilog 6. verba præallegata Gen: 2. 2.* Requievit die septimo ab universo opere, *cum illis Joan: 5. 17* Pater meus usque modò operatur, & ego operor, *sic concilianda esse nos docuit;* ,,*Deum quievisse die* ,,*septimo ab opere creationis, cessando nimirum novas rerum species creare. Ope-* ,,*rari autem usque modò; ea, quæ creaverat, conservando, gubernando, & crea-* ,,*tarum specierum individua successivè producendo,,.*

(*a*) ,,*Animas dicunt non quidem partes Dei, sed factas à Deo peccâsse à Conditore* ,,*recedendo& diversis progressibûs, pro diversitate peccatorum à Cælis usque ad ter-* ,,*ras diversa corpora quasi vincula meruisse.* Et *hunc esse mundum, eamque cau-* ,,*sam mundi fuisse faciendi; non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur,,.* *S. August: lib: 11. de Civit: Dei cap 23.* (*b*) *Gen: 1. 1.*

„cut ei competit esse: Illud autem propriè dicit esse, quod habet „ipsum esse quasi in suo esse subsistens. Unde solæ substantiæ pro„priè & verè dicuntur entia; accidens verò non habet esse, sed eo „aliquid est; & hac ratione ens dicitur: Sicut albedo dicitur ens; „quia ea aliquid est album. Et propter hoc dicitur in 7. Metaph: „sic: quòd accidens dicitur magìs entis, quàm ens. Et eadem ratio „est de omnibus aliis formis non subsistentibus. Et ideo nulli for„mæ non subsistenti propriè convenit fieri, sed dicuntur fieri per „hoc, quòd composita subsistentia fiunt. Anima autem rationalis est „forma subsistens, ùt suprà (a) habitum est (XXIV. prope finem). „Unde sibi propriè competit esse & fieri. Et quia non potest fieri „ex materia præjacente, neque corporali, quia sic esset naturæ cor„poreæ; neque spirituali, quia sic substantiæ spirituales invicem „transmutarentur: necesse est dicere, quòd non fiat nisi per creatio„nem„ (b). Porro „quidam posuerunt, quòd Angeli secundùm quod „operantur in virtute Dei, causant animas rationales; sed hoc est „omnino impossibile, & à fide alienum (IX.). Ostensum est enim, „quòd anima rationalis non potest produci nisi per creationem. So„lus autem DEUS potest creare (c): quia solius primi Agentis est „agere nullo præsupposito, cùm semper agens secundum præsuppo„nat aliquid à primo agente, ùt suprà habitū est (d). Quod autem agit „aliquid ex aliquo præsupposito, agit transmutando: Et ideo nullum „aliud agens agit, nisi transmutando, sed solus DEUS agit crean„do. Et quia anima rationalis non potest produci per transmuta„tionem alicujus materiæ, ideò non potest produci, nisi à Deo im„mediatè. Et per hoc patet solutio ad objecta (e). Nam, quòd „corpora causant vel sibi similia, vel inferiora, & quòd superiora re„ducunt inferiora, totum hoc provenit per quandam transmutatio„nem„

(a) *S. Thom: 1. p. q. 75. art: 2.* (b) *1. p. q. 90. art: 2.* (c) *Unde S. August: lib: 9. de Gen. ad lit: cap: 15.* „*Angeli autem nullam omnino possunt* „*creare naturam: solus enim unus cujuslibet naturæ seu magnæ, seu minimæ* „*Creator est Deus*„. *Et lib 3. de Trin: cap: 8.* „*Non solùm malos, sed* „*nec bonos Angelos fas est putare creatores*„. (d) *S. Th: 1. p. q. 65. art: 3.* (e) *Major est ordo in spiritualibus quàm in corporalibus. Sed corpora inferiora producuntur per corpora superiora, ergo & inferiores spiritus, qui sunt animæ rationales, producuntur per spiritus superiores, qui sunt Angeli. Item spirituales substantiæ sunt multò magìs perfectæ, quàm corporales, cùm ergo corpora faciant sibi similia secundùm speciem, multò magìs Angeli poterunt facere aliquid infra se secundùm speciem naturæ, scilicet animam rationalem.*

,,nem,, (a). Absit verò, ut inde nefanda cuipiam suboriatur cogitatio, Deum nempe creando animas rationales, cooperari peccantibus, scilicet adulteris, de quorum illicito coitu proles interdum generatur! Nam ,,in actione adulterorum illud, quod est naturæ, bo,,num est, & huic cooperatur DEUS (infundendo animam): Quod ,,verò est inordinatæ voluptatis (consistentis in eo, quòd sit alieni ,,corporis commixtio) malum est, & huic Deus non cooperatur,, (b). Quemadmodùm pro sua Sapientia infundit corpori animam originali culpâ inficiendam: equidem ,,bonum commune præfertur bono sin,,gulari: unde Deus secundùm suam Sapientiam non prætermittit uni,,versalem ordinem rerum (qui est, ut tali corpori talis anima infun,,datur), ut vitetur singularis infectio hujus animæ, præsertim, cùm ,,natura animæ hoc habeat, ut esse non incipiat, nisi in corpore. - - - ,,Meliùs est autem ei sic esse, quàm nullo modo esse: præsertim, cùm ,,possit per gratiam damnationem evadere,, (c). Neque inde sequitur, Deum esse causam peccati, estò sit solus & immediatus Auctor creationis & infusionis animæ: quia ,,infectio originalis peccati nullo ,,modo causatur à Deo, sed ex solo peccato primi parentis per car,,nalem generationem, & ideò, cùm creatio importet respectum ,,animæ ad solum Deum: non potest dici, quòd anima ex sua creati,,one inquinetur. Sed infusio importat respectum & ad Deum in,,fundentem, & ad carnem, cui infunditur anima: & ideò habito ,,respectu ad Deum infundentem, non potest dici, quòd anima per ,,infusionem maculetur: sed solùm habito respectu ad corpus, cui in,,funditur,, (d). ,,Quasi vitium sementis in tritico sit, quòd vitiô ,,dicitur esse sublatum; & non in eo, qui frumenta furatus est: id,,circo terra non debeat gremiô suô semina confovere: quia sator ,,immundâ ea projecerit manu,, (e). Per hanc similitudinem S. Augustino judice elegantissimam, innuere S. Doctor vult, nefandis conceptibus à Deo animam infundi, non esse magìs vitiosum, quàm quòd terra semina furtô sublata, aut immundîs manibûs projecta foveat, & crescere faciat (f). Sed hîs ad Theologos missîs, Philosopho Christiano sufficit nôsse id, quòd S. Augustinus (g) dicit: ,,De,,us Omnipotens nullo modo sineret malum esse in operibus suis,

,,nisi

(a) *S. Th: 1. p. q. 90 art: 3.* (b) *Idem 1. p. q. 118. art: 2. ad 5* (c) *Idem 1. 2. q. 83. art: 1. ad 5.* (d) *Idem loc: cit: ad 4.* (e) *S. Hieron: lib: 2. Apolog: contr: Rufin: cap: 8.* (f) *Hauser tom: 3. part: 1. Psycholog: q. 7. art: 2. pag: mihi 142.* (g) *In Enchirid: cap: 11. ut refert Vinc: Contenson: tom: 3. Theolog: ment: & cord. lib: 2. Diss: 4. cap: 1. Specul: 1. pag: mihi 526.*

„nisi usque adeò esset Omnipotens & Bonus, ut bene faceret eti„am de malo„.

XXXIII. *Scholion.* Quantum ad tempus infusionis animæ, id nobis certum est; quod per Ecclesiam definitum accepimus (XX): Animam videlicet rationalem non eo tempore, quo fætus paritur, sed longè antè, corpusculo adhuc in utero degenti infundi, consequenter falsam esse hanc universalem: *in nullo abortu homicidium committi*: neque adeò ullo unquam tempore propter vitandam mortem, vel infamiam procurationem abortûs esse licitam (a). Quando verò in Jure Canonico dicitur (b), non esse homicidam, si quis fætum necdum formatum occidat; eò quòd nondum dici possit, natum esse hominem: neque juxta Theologos & Canonistas incurratur *irregularitas* homicidio annexa, qui procurat abortum ante trigesimum diem, utut peccet gravissimè id unum ex primo sequitur: non esse *homicidam*, idest non esse puniendum pænâ homicidii, qui talem fætum destruit; quòd verò nunquam reipsa patretur homicidium tali casu, non sequitur: ex altero: Ecclesiam tamquam piam Matrem nolle tam gravi pænæ subjacere suos, nisi constet de homicidio: cùm igitur certum non sit, num ante trigesimum diem animari incipiat fætus, in dubio favet reo. Equidem quo temporis puncto, seu quot dierum transactô spatiô anima infundatur corpori; inter Philosophos & Medicos disceptatio est fortassis nunquam finienda. *Hieronymus Florentinus Lucensis* (c) varias hac de re in ordinem reducens sententias; inquit: „Quarum „prima Canonistis quibusdam & Criminalistis tribuitur, qui asserunt, „fætum mulieris non esse animatum, nisi post diem octogesimam; „secunda sententia; nisi die quinquagesima: tertia sententia: die qua„dragesima quinta: die trigesima quinta: sexta; die trigesima: septi„ma, die vigesima quinta: octava; die decima quinta: nona; die de„cima decima; die septima: undecima; die sexta; duodecima; quæ est „Fieni, die tertia: decima tertia; Pemplii, & decima quarta Sennerti, „prima die. Atque suum Opus concludit (d): „Hæc sunt, quæ „Disputationibûs quatuor comprehensa, circa Abortivorum baptisma „tam

(a) „*Licet procurare abortum ante animationem fætûs, ne puella deprehensa „gravida occidatur aut infametur*„. *Prop*: 34. *ex damnatis ab Innocentio XI.* 1671. (b) *cap*: Sicuti 20. *causa* 32. *q.* 2. (c) *Congregation: Matris Dei Cleric: Regul: in Opere suo, cui titulus: Homo Dubius, sive de Baptismo Abortivorum, Lugduni* 1675. *Disp*: 3. *Sect*: 6. *n.* 3. *pag*: 195. (d) *Loc: cit: pag:* 302. *Quæ idcirco huc transcribenda duximus, ut vel idem Opusculum à pluribus, si haberi poterit, diligenter legeretur, vel hocce argumentum serius tractaretur: cùm de re summi momenti, æterna videlicet salute animarum, si fortassis priori tem-*

„tam ad probationem piæ Prothasis, quàm ad eiusdem definitionem „in lucem dare necessarium duxi, non quidem ut aliquid certum sta„tuam, neque ut definiri à Sancta Sede tanquam Catholicam meam „propositionem voluerim; sed solùm; ut ejusdem probabilitatem cum „pietate conjunctam ostenderem: & ut Sapientissimis Viris, necnon „fidelium zelo & religioni, *plurimarum animarum salutem* commendarem. „Quare si vel unicam abortivorum animulam in cælestem thesaurum „transmittere datum fuerit; hæc pauca non omnino inutiliter scripsisse „putabo„. S Thomas licèt quidem in ea sit sententia tamquam ævô suo communiter recepta (a), ut *per multas generationes & corruptio-*

pore, quàm vulgaris ferat opinio, vel abortum baptizandi consuetudo obtineat, anima infundatur corpori, agatur.

(a) „Dicendum, quòd aliqui dixerunt quòd operationes vitæ, quæ apparent in „embryone, non sunt ab anima ejus, sed ab anima matris: vel à virtute formativa, „quæ est in semine. Quorum utrumque falsum est. Opera enim vitæ non possunt „esse à principio extrinseco, sicut sentire, nutriri, & augeri. Et ideò dicendum est, „quòd anima praexistit in embryone, à principio quidem nutritiva, postmodùm au„tem sensitiva, & tandem intellectiva Dicunt ergo quidam, quòd supra animam „vegetabilem, quæ primò inerat, supervenit alia anima, quæ est sensitiva: supra illam „iterum alia, quæ est intellectiva: Et sic sunt in homine tres animæ, quarum una „est in potentia ad aliam. Quod suprà (1. p. q. 76. art: 3. & à nobis infrà „XLV.) improbatum est. Et ideò alii dicunt, quòd illa eadem anima, quæ pri„mò fuit vegetativa tantùm, postmodùm per actionem virtutis quæ est in semine, „perducitur ad hoc, ut ipsa eadem fiat sensitiva: & tandem ad hoc, ut ipsa eadem „fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem supe„rioris agentis, scilicet DEI, deforis illustrantis. Et propter hoc dicit Philoso„phus (lib: 2. de generat: animal: cap: 3. tex: 4.) quòd intellectus venit ab extrin„seco. Sed hoc stare non potest. Primò quidem, quia nulla forma substantialis re„cipit magìs & minùs, sed superadditio majoris perfectionis facit aliam speciem, „sicut additio unitatis facit aliam speciem in numeris non est autem possibile, ut „una & eadem forma numerô sit diversarum specierum. Secundò, quia sequeretur, „quòd generatio animalis esset motus continuus paulatim procedens de imperfecto ad „perfectum, sicut accidit in alteratione. Tertiò, quia sequeretur, quòd generatio „hominis, aut animalis, non sit generatio simpliciter: quia subjectum ejus esset ens „actu: Si enim à principio in materia prolis est anima vegetabilis, & postmodùm „usque ad perfectum paulatim perducitur, erit semper additio perfectionis sequentis „sinè corruptione perfectionis praecedentis, quòd est contra rationem generationis sim„pliciter. Quartò, quia, aut id, quod causatur ex actione DEI, est aliquid sub„sistens, & ita oportet, quòd sit aliud per essentiam à forma praexistente, quæ non

mes ad ultimam formam substantialem, tam in homine, quàm in aliis animalibus perveniri asserat; nec possit „quidem commodè intelligi (ùt ad„vertit laudatùs Hier: Florentinius. a) de prioritate naturæ, sed ne„cessariò de temporis successione sit accipiendus: siquidem post gene„rationem animæ illius vegetativæ duas alias mutationes substantiales „affirmat succedere; generationem scilicet sensitivæ, & rationalis ani„mæ creationem, quæ à parte rei sibi succedunt, ac proinde tempo„rariam durationem exigunt. - - - Sed quòd hujusmodi generationes „requirant tempus menstruum, neque dicit, neque ex ejus discursu colli„gitur. Imò totum oppositum, quòd nimirum brevissimo tempore fiant, „videtur sentire: Nam ut probet suam sententiam de pluribus illis in „humano fætu generationibus, statim subdit: *Et hoc ad sensum apparet „in animalibus ex putrefactione generatis.* At nihil magìs constat, quàm ra„nas verbi gratiâ tempore æstivo, guttîs pluvialibûs vix in terrenum „pulverem cadentibûs, mira celeritate ad multas myriades nasci, & „subitò gregatim ex lire. In quarum generatione juxta hanc doctri„nam, antequam anima sensitiva ranæ educatur de potentia materiæ, debet

„ *erat subsistens, & sic redibit opinio ponentium plures animas in corpore. Aut non „est aliquid subsistens, sed quædam perfectio animæ præexistentis, & sic ex necessitate „sequitur, quòd anima intellectiva corrumpatur corrupto corpore: quod est impossi„bile. Est autem & alius modus dicendi, secundùm eos, qui ponunt unum intelle„ctum in omnibus, quod suprà (1. p. q. 76. art: 1. & 2. tum q. 79. art: 4. & 5.) „improbatum est. Et ideò dicendum est, quòd cùm generatio unius semper sit cor„ruptio alterius, necesse est dicere, quòd tam in homine, quàm in animalibus aliis, „quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris, ita tamen quòd sequens for„ma habet, quidquid habebat prima, & adhuc amplius:* Et sic per multas ge„nerationes & corruptiones pervenitur ad ultimam formam substan„tialem, tam in homine, quàm in aliis animalibus. *Et hoc ad sensum ap„paret in animalibus ex putrefactione generatis. Sic igitur dicendum est,* quòd anima „intellectiva creatur à Deo in fine generationis humanæ, *quæ simul est & „sensitiva, & nutritiva, corruptis formîs præexistentibûs„. S. Thom: 1. p. q. 118. art: 2. ad 2. Si dicas: Frustrà inducuntur, si abjiciuntur, quæ inducuntur, formæ: Respondet Alexand: Piny tom: 4. Curs: Philosop: lib: 1. q. 4. pag: mihi 97 non frustrà induci: „Quia non inducebantur præcedens forma, ut remaneret in re jam perfecta, sed ut „esset via ad formam perfectam; propterea quòd inter formam seminis & formam „animalis perfectam sunt quædam formæ mediæ, quas necesse est successivè recipi in „materia: quia* natura agit per determinata media*; atque ita sicut frustranea „non est via, quantumvis relinquatur adeptò terminô, ita nec frustrà inductæ fuêre „viales illæ & imperfectiores formæ, quamvis in adventu perfectioris abjiciantur & corrumpantur„.* (a) *loc. cit: Diss. 4. Sect. 7 pag. mihi 239.*

„debet tempore præcedere anima vegetativa, & ante illam prævia di„spositio accidentalis ad ejusdem animæ vegetativæ productionem: Et „tamen non est, qui non videat, quanta festinatione exurgant illico, „& saliunt in solo animalia hujusmodi, statim ac pulveris & aquæ plu„vialis mixtura fermentata est, ut idem omnino videatur esse lutum „fieri, & ranas nasci, quod etiam S. Augustinus dicebat (a): Ranas „repente ex una pluvia terra generat &c„. Ergo nemo quærat à nobis, quonam tempore anima rationalis cujuslibet corpori infundatur: cùm hoc instans planè Sapientissimis etiam Viris incertum sit, ab illoque determinando vel ipse Angelicus Doctor abstinuerit, hac sola generali conclusione posita: *Sic igitur dicendum, quòd anima intellectiva creatur à DEO in fine generationis humanæ.* Illud magìs certum est, quod Gallenus ipse Medicorum Princeps (b) docet: „Quo pacto hæc fiant, si scru„taveris, convinceris te non intelligere, neque tuam imbecillicitatem, „neque Opificis tui potentiam„.

XXXIV. *COROLLARIUM VII.* Anima humana est substantia simplex & individua. Equidem si ea in plures partes divisibilis esset, vel 1. singulæ harum partium præditæ essent singulis iis facultatibus, quibus pollemus, ùt vi sentiendi, intellectu, voluntate &c. vel 2. altera earum solâ intelligendi vi gauderet, altera sola voluntate &c. vel denique 3. nulla earumdem seorsim sumpta posset ullius facultatis nostræ actiones exercere, verùm ad singulas id genus actiones singulæ partes animæ, vel saltèm plures earumdem operam suam conferre deberent. Atqui nihil horum dici potest. Non *imum:* secus enim quisque nostrum non unicam, sed plures animas distinctis corporibus regendis aptas haberet; quod tametsi aliquis per summam temeritatem asserere non vereretur, saltèm id evinci posset hac, qua utimur, argumentandi ratione, unamquamque animarum nostrarum simplicem & individuam substantiam esse debere. Non *2dum:* Secus enim ea mentis nostræ pars, quæ solis judiciis ferendis occuparetur, iis de rebus judicaret, quarum notionibus ipsa prorsus careret: ea, quæ sola voluntate gauderet, amplecteretur quod esse bonum non cognosceret; aversaretur quod esse malum ignoraret &c. Non denique *3tium:* nam in primis si nulla dividuæ animæ pars seorsim accepta gaudet intelligendi vi, libera voluntate &c. qua ratione poterit fieri, ut eædem simul sumptæ intelligentiam, liberamque voluntatem &c. adipiscantur? an *ex gr:* ab aliqua parvulorum collectione, quorum singuli nullum, aut

 admodùm

(a) *lib: 6. cap: 8. contr: Faustum.* (b) *Lib: 15. de usu partium cap: 1. ut refert Hauser tom: 3. Element: Philos: part: 1. Psychol q. 7. art: 3. §. 148. pag: mihi 146.*

admodum tenuem rationis usum habeant, egregia promi consilia, vel alia maturi intellectus specimina dari possunt? Deinde assumamus *ex gr:* triangulum, cujus notio tria latera, horumque certam positionem complectitur. Si singulæ partes animæ dividuæ concurrunt ad hanc notionem efformandam; una pars unum, altera alterum, tertia tertium latus repræsentabit, quarta denique ipsam laterum horum positionem certam sibi præsentem sistet. At istud quidem perquàm absurdum est. Repugnat enim, ut quæpiam animæ pars repræsentet sibi certam trium laterum positionem, quin simul ipsa tria latera sibi repræsentet: ac proinde illa pars animæ, cui dictæ trium laterum positionis repræsentatio assignatur, totam trianguli notionem absolvet. Quod si autem ita se res habet, quo jam fine repræsentabit una ex reliquis animæ partibus unum, altera alterum, tertia tertium trianguli latus? qua item ratione poterit defendi plures animæ partes ad eamdem trianguli notionem efformandam unitis viribûs concurrere? Eodem modo, si hoc *ex gr:* judicium feras: *DEUS est justus*, eadem omnino pars animæ, quæ affirmat DEUM esse justum, simul notiones *justi* & *DEI*, item concordiæ prædicati & subjecti habeat oportet: secus enim affirmabit, quin sciat, quid, de quo, & cur affirmet: ergo rursus non potest dici, quòd plures animæ partes idem judicium de DEO ferendum inter se quodammodo partiantur, consequenter anima nostra simplex & individua substantia sit oportet. Ut alios Veteres taceam, Tullii hæc est de præsente argumento sententia: „In animi autem cognitione dubitare non „possumus, nisi planè in physicis plumbei sumus, quin nihil sit ani„mis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coaugmen„tatum, nihil duplex„ (a) „Omne non habens materiam indivisibile „est, quemadmodum humanus intellectus„ (b). „Absurdum est di„cere, non eam (putà animam) totam scire, quod scit. Non dico, „totum scit, sed quod scit, tota scit: cùm itaque aliquid de se scit, „quod nisi tota non potest, totam se scit. Scit autem se aliquid scien„tem, nec potest quidquam scire, nisi tota. Scit igitur se totam„ (c).

XXXV. *COROLLARIUM VIII.* Intellectiones, volitionesque animæ humanæ non fiunt merîs successionibûs, pressionibûs, motionibûs, verbô: merîs conflictibûs corporeîs Hobbesianîs. Novimus enim constante experientia, corpora in suis motibus hanc universim servare legem, ut nunquam à statu quietis ad motum ullum, aut ex motu ullo ad alterum transeant, nisi accedente determinatione externa. Jam sic est, quòd nos de infinitis rebus cogitamus citra omnem determinationem

(a) *Cic: Tuscul: Quæst: lib: 1. cap: 29.* (b) *Arist: lib: 12. Metaph: tex: 55.*
(c) *S. August. lib: 10. de Trinit: cap. 3.*

nationem extrinsecùs advenientem, ùt cuivis sua attestatur conscientia; tum libertatem habemus seriem demonstrationis unius interrumpere, alteramque omnino diversam aggredi; idque centies repetere, & intermittere: præterea à præteritis ad præsentia, præterita vel futura; ab existentibus ad possibilia cogitanda; ab imaginatione porro ad intellectionem puram, & vicissim, quoties libeat, transire. Longè itaque diversis legibûs cogitationes, volitionesque fiunt, quàm motus corporei; longè igitur etiam ab hisce motibus differunt. Juvat compendió adjicere aliquot Cl: Antonii Genuensis elegantia hac super re argumenta, ex scriptis S. Augustini deducta: „I. Sensus & phantasia fal„luntur, dum rectum baculum, cujus dimidia pars aquâ mersa est, „curvum exhibent: interea ratio perspicuè errorem detegit, & per„petuò contradicit, etiam perdurante sensûs phantasiæ errore. Quod „si nihil esset aliud ratio, nisi hic cerebri conflictus, aut quoniam „perdurat idem dum idem refert phantasma, errorem suum non agno„sceret: aut si is idem se corrigeret, non idem referret phantasma, „nec idem esset conflictus (a). Te nunc appello - - - ecquid ad hæc? „Se phantasma erroris reprehendit, perduratque idem, an ab alio de„docetur? Ab alio autem phantasmate? unde & hoc aliud? Quî alterum „alterum percipit? Quî cum objecto confert? Ad rem. Inde verò gravis„simis verbis concludit Augustinus, *quare conficitur, ut aliud simus nos,* „*aliud sensus: siquidem quum ipse fallitur, possumus nos non falli.* II. Ad hæc, „judicia & ratiocinia rerum abstractarum, & ipsa *conflictus* erunt cor„porei? Probabile efficere potes, conflictu quocumque nasci in cere„bro phantasmata Trianguli, Rectanguli, Quadrati, Lineæ, velut in „tabula luminis jactu imagines: at an etiam eodem conflictu perceptio„nes æqualitatis trium Trianguli angulorum cum duobus rectis, æqua„litatis Rectangulorum, aut Quadratorum cum quibusvis Rectilineis; „differentiam harum quantitatum; proprietates numerorum, & qui„dem in longissima judiciorum serie expediêris? Tunè Geometra Geo„metris persvaseris exactissimas & longissimas demonstrationes esse se„riem conflictuum cerebri? Vah! - - - (b) *Itaque* & hinc perspectè „concludit. *Si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernun„tur, oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corpus non esse.* III. Quum „aliquod nomen, velut Patris Alexandri Macedonis, memoriâ „excidit, ecce quidam revocare conantur, memorantque mihi Perdi„ceam, Lisimacum, Seleucum, Antiochum: nondum agnosco, nisi Phi„lippum nominaverint: ecquis ea confert nomina? Ecquis illa reprobat,

(a) *Idem lib: 2. Soliloq: cap: 3.* (b) *Ex eod: Aug: lib: 2. Solil: cap: 19. & de Quantit: Animæ à cap: 4. ad 13.*

„bat, hoc probat? ille veri sensus unde nascitur? inter se blandè colloquuntur conflictus illi; atque sese agnoscere gestiunt? (a). Qui „velint philosophari attentè, facilè intelligent, memoriæ & reminiscentiæ phænomena solo mechanismo corporis explicari non posse „(b). IV. Jam statuamus Passerculum meum vocari Biltri; quum id „pronuntiari audio vocabulum, statim cogito, mihi quidem Passerculum esse, cæteris nihil. Ecquis ea distinguit? Quis vocabulum nihil, „à vocabulo rei cujusvis discernit, quum sonus idem, idemque idcirco inde natus conflictus? (c)„. Hæc Genuensis (d). Nulla itaque cogitatio formaliter consistit in certa quadam motione tenuissimæ substantiæ, ab ipsis rebus, de quibus cogitamus, in cerebro, nostro excitata.

CONCLUSIO II.

XXXVI. ANima rationalis est ab intrinseco incorruptibilis ac immortalis, ea nimirum indole, naturâ ac substantiâ prædita est, ut illud esse, quod habet, perenniter, constanterque conservet, nihilque prorsus admitti, vel effingi possit, quod Animæ rationalis substantiam destruere fortasse valeat, si maxima solùm, ac infinita Divini Opificis potentia excludatur. (XI). Equidem Anima rationalis est substantia incorporea (XXIV.), ut idcirco ejus attributa essentialia omnino sint diversa ab attributis essentialibus corporis (XXVI): dividi ergo ac discerpi in partes nequit nec suapte natura: cùm hæc cujusque entis ad se conservandum comparata est: nec ab alio creato spiritu: cùm præsertim creatus spiritus unus in alium agere, vel potenter adeò influere non possit, ut illum perimere posse concipiatur; multò minùs passione circumpositorum corporum: quia substantia incorporea passioni corporum obnoxia esse non potest. Quæ autem talia sunt, si quidem naturâ sint viventia, immortalia sunt: Anima ergo humana, quæ & incorporea est, & naturâ suâ vivens, nec corrumpi potest, & immortalis est. „Necesse est dicere Animam humanam, „quam dicimus intellectivum principium, esse incorruptibilem. Du„pliciter enim aliquid corrumpitur. Uno modo per se, alio modo per „accidens. Impossibile est autem aliquid subsistens generari, aut cor„rumpi per accidens, idest, aliquo generato, vel corrupto: sic enim „competit alicui generari & corrumpi, sicut & esse, quod per gene„rationem acquiritur, & per corruptionem amittitur: unde quod per se habet

(a) *Idem cap: 20.* (b) *Adisis Henricum Morum de Immort: Anim: cap: 2. lib: 2.* (c) *De quantit: Anim: cap: 32.* (d) *Element: Metaphi part: alt; in Schol: ad Coroll: prop: 8. pag: mihi 59. & seqq:*

„se habet esse, non potest generari vel corrumpi, nisi per se. Quæ „verò non subsistunt, ùt accidentia & formæ materiales; dicuntur fieri „& corrumpi per generationem & corruptionem compositorum Osten„sum est autem supra (a), quòd animæ brutorum non sunt per se „subsistentes, sed sola anima humana. Unde animæ brutorum cor„rumpuntur corruptis corporibûs; anima autem humana non posset „corrumpi nisi per se corrumperetur. Quod quidem omnino est im„possibile, non solùm de ipsa, sed de quolibet subsistente; quod est „forma tantùm. Manifestum est enim, quòd id, quod secundùm se „convenit alicui, est inseparabile ab ipso: esse autem per se convenit „formæ, quæ est actus. Unde materia secundùm hoc acquirit esse in „actu, quòd acquirit formam, secundùm hoc autem accidit in ea cor„ruptio, quòd separatur forma ab ea. Impossibile est autem, quòd „forma separetur à seipsa: unde impossibile est, quòd forma subsistens „desinat esse. - - - Potest etiam hujus rei accipi signum ex hoc, quòd „unumquodque naturaliter suo modô esse desiderat: desiderium autem „in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem: sensus autem non co„gnoscit esse, nisi sub hic & nunc: sed intellectus apprehendit esse „absolutè, & secundùm omne tempus: Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper: naturale autem desiderium non po„test esse inane. Omnis igitur intellectualis substantia est incorrupti„bilis„ (b). Sed & „illud argumentum, quod etiam M. Tullius „vidit, satis firmum est: Ex eo æternitatem animæ posse dignosci, „quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam DEI, „religioque sit pene sola, quæ hominem discernat à brutis, quæ cùm „in hominem solum cadat; profectò testatur, id affectare nos, id de„siderare, id colere, quid nobis familiare, quid proximum sit futu„rum. An aliquis, cùm cæterarum animantium naturam considerave„rit, quas pronis corporibûs abjectas, in terramque prostratas summi „DEI Providentia effecit, ut ex hoc intelligi possit, nihil eas rationis „habere cum cælo; potest non intelligere, solum ex omnibus cæleste, „ac divinum animal esse hominem, cujus corpus ab humo excitatum, „vultus sublimis, status erectus, originem suam quærit, & quasi con„tempta humilitate terræ ad altum nititur, quia sentit summum Bo„num in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, „quâ Deus illum fecit eximium, ad Artificem suum spectat? --- Cùm „autem sapientia, quæ soli homini data est, nihil aliud sit, quàm no„titia DEI: apparet, animam non interire, neque dissolvi, sed ma„nere in sempiternum, quia DEUM, qui sempiternus est, & quærit & dili-

(a) *S. Thom: 1. p. q. 75. art: 3.* (b) *Idem loc: cit: art: 6.*

,,& diligit ipsâ cogente naturâ, sentiens vel unde orta sit, vel quò ,,reversura,, (a). Quid memorem universale de animi nostri indefi-

cientia

(*a*) *Firm: Lactant: lib: 7. de Div: præm: n. 9. pag: mihi 405. qui hocce argumentum ulteriùs eleganter prosequitur, inquiens: ,,Virtus quoque soli homini data, ,,magno argumento est immortales esse animas. quod nec erit secundùm naturam, si ,,anima extinguitur. huic enim præsenti vitæ nocet. Nam vita ista terrena, quam ,,communem cum mutis animalibus ducimus; & voluptatem expetit, cujus fructibûs variis ac suavibus delectatur; & dolorem fugit, cujus asperitas naturam viventium acerbîs sensibûs lædit, & ad mortem perducere nititur, quæ dissolvit animantem. Si ergo virtus & prohibet in bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur; ergo malum ,,est virtus, & inimica naturæ; stultumque judicare necesse est, qui eam sequitur; ,,quoniam se ipse lædit, & fugiendo bona præsentia, & appetendo æquè mala sinè ,,spe fructus amplioris. Nam cùm liceat nobis jucundissimîs frui voluptatibûs, nonne sensu carere videamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contemptu, in ,,ignominia vivere, aut ne vivere quidem, sed dolere, cruciari, & mori? ex quibus malis nihil ampliùs assequamur, quò possit voluptas omissa pensari? Si autem ,,virtus malum non est, facitque honestè, quòd voluptates vitiosas, turpesque contemnit, & fortiter, quòd nec dolorem, nec mortem timet, ut officium servet: ergo ,,majus aliquod bonum assequatur necesse est, quàm sunt illa, quæ spernit. At verò morte suscepta, quod ulterius bonum sperari potest, nisì æternitatis?,,. Idem loc: cit: pag: mihi 406. ,,Transeamus nunc vicissim ad ea, quæ virtuti repugnant, ,,ut etiam ex his immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia sunt. ,,ad præsens enim commoventur. iræ impetus, recepta ultione sedantur. libidinis, ,,voluptas corporis finis est. cupiditatem autem satietas earum rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt ambitio, postquam honores, ,,quos voluit, adepta est, consenescit. item cætera vitia consistere ac permanere non ,,possunt. sed ipso fructu, quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo & redeunt. ,,Virtus autem sinè ulla intermissione perpetua est; nec discedere ab eo potest, qui ,,eam semel cepit. Nam si habeat intervallum, si aliquando ea carere possumus; redeunt protinus vitia, quæ virtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, ,,si deserit, si aliquando secedit. Cùm verò sibi domicilium stabile collocavit; in ,,omni actu versari eam, necesse est nec potest fideliter depellere vitia, & fugare; ,,nisì pectus, quod insedit, perpetua statione munîerit. Ipsa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si virtutem ceperit, permanere: quia & virtus perpetua est; & solus animus humanus virtutem capit. Quoniam igitur contraria sunt vitia virtuti omnis ratio diversa, & contraria sit, necesse est: quia ,,vitia commotiones & perturbationes animi sunt; virtus è contrario lenitudo & tranquillitas animi est: quia vitia temporalia & brevia sunt; virtus perpetua & constans, & par sibi semper: quia vitiorum fructus, idest, voluptates, æque ut ipsa,*

cientia judicium, in quod constanti & firmissimo consensu conspirant omnes nationes, utut moribûs, opinionibûs, locis, temporibûs &c. diversissimæ, quodque utpote de re summi momenti, non potest non esse genuinus ipsius naturæ sensus? (a) ut meritò dixerit Augustinus (b): „Quis nunc est extremus idiota, vel quæ abjecta muliercula, „quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque post mortem futuram?„ Demum indeficientia animæ nostræ manifestè colligitur

E ex reditu

„*breves, temporalesque sunt; virtutis ergo fructus ac præmium sempiternum est: „quia vitiorum commodum in præsenti est; virtutis igitur in futuro. Ita fit, „ut in hac vita virtutis præmium nullum sit, quia virtus adhuc ipsa est. Nam „sicut vitia, cùm in actu suo finiuntur, voluptas, & præmia eorum sequuntur, „ita virtus, cùm finita est, merces ejus insequitur. Virtus autem numquam „nisi morte finitur; quoniam & in morte suscipienda summum ejus officium „est. Ergo præmium virtutis post mortem est„.* Idem loc: cit: n. 10. pag: mihi 407. „*Quid opera carnis atque animis? nonne indicant esse animam „mortis expertem? nam corpus, quia ipsum fragile est, atque mortale, quæcumque opera molitur, æquè caduca sunt. Nihil enim Tullius ait esse, quod „sit manibûs humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, „vel injuriâ hominum, vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate. At verò „animi opera videmus æterna. Nam quicumque contemptui præsentium studen„tes in memoriam monimenta ingeniorum, factorumque magnorum reliquerunt, „ii planè mentis, ac virtutis suæ nomen indelebile quæsierunt. Ergo si opera „corporis ideò mortalia sunt, quia ipsum mortale est; sequitur, ut anima ex eo „immortalis appareat, quia videmus opera ejus non esse mortalia. Eodem mo„do desideria quoque corporis, animique declarant, alterum esse mortale, alte„rum sempiternum. Corpus enim nonnisi temporalia desiderat, idest cibum, po„tum indumentum, quietem, voluptatem: & tamen hæc ipsa sinè nutu, & ad„miniculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa „desiderat, quæ ad officium, fructumve corporis non redundent; eaque non fra„gilia, sed æterna sunt, ùt fama virtutis, ùt memoria nominis. Nam cultum „Dei, qui constat abstinentiâ cupiditatum, ac libidinum, patientiâ doloris, con„temptu mortis, etiam contra corpus anima concupiscit. Unde verum est, non „interire animam, sed dissociari à corpore; quia corpus sinè anima nihil potest, „animus verò potest multa, & magna sinè corpore„.* Idem loc: cit: num: 11. pag: mihi 409. (a) „*Maximum verò argumentum est, naturam ipsam de im„mortalitate animorum tacitam judicare, quòd omnibus curæ sint, & maximè „quidem, quæ post mortem futura sint --- permanere animos arbitramur consensu „omnium nationum„.* Cic: lib: 1. Tuscul: quæst: Legesis Suarium lib: 1. de anim: cap: 10. P. Gallum Cartier Opusc: de anim: spirit: & Imm: §. 2. pag: mihi 62. & seq: (b) Epist: 3. ad Volusianum.

ex reditu animarum post hanc vitam: constat enim innumeris exemplis, mortuos suscitatos, & animas defunctorũ reduces à suis locis. (a)

XXXVII. *Scholion I.* Fuerunt nonnulli in ea opinione, Animi immortalitatem credere divina revelatione oportere velut rem supra captum humanum positam, & quam nullis naturæ rationibûs demonstrare possimus. Nam naturæ rationes, quas S. Thomas in utroque opere, *Summa* nempe *Theologica*, & altera *adversus Gentes* (b) aliisque in locis protulit *Henricus & Scotus probabiliter suadere, non necessariò demonstrare censuerunt*, ùt Melch: Canus agnoscit (c); *& Cajetanus*, addit idem, *sui valde dissimilis scripserit se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen.* In eandem Sententiam ingressi sunt & alii, in primis Nicolaus Perrottus (d), & Joannes Lochius (e). Nempe, inquiunt, tamdiu res creatæ vivunt, quo ad eas esse & vivere Animas vult Deus: & quousque eas esse, & vivere animas velit Deus, id scire nequimus, nisi Divina Revelatione, seu manifestatione divinæ Voluntatis. Atque pluribûs hoc refellit eodem in loco Canus: „ego (inquit Ant: Genuensis (f) tribûs verbîs. Nempe divina vo„luntas, non omnis quidem, & adæquatè, sed ex parte, ab homi„nibus intelligitur non *revelatione* tantùm, sed ipsa quoque naturali „ratione, quum & revelatio, & ratio naturalis duo quasi radii ejus„dem Dei luminis æterni sint. Itaque vulgatum est apud Philo„sophos omnes, & *naturæ viâ*, & *viâ prophetiæ Deum nos alloqui*: & Au„gustinus elegantissimè Philosophos appellat *vates naturæ* (g). Nihil „impedit ig tur, quominus inter alia, quæ de divina voluntate co„gnoscimus naturæ viâ, & hoc sit, animos esse immortales„ (h).

XXXVIII.

(a) *Plùrima recenset Leon: Lessius lib: 2 de Immort: Anim. n. 48. pag: mihi 291. & seqq:* (b) *Lib: 2. cap: 50. & seqq:* (c) *De Locis Theolog: lib: 12. cap: 1.* (d) *Apud Balium in Diction: Art. Perrot: Remarq: L.* (e) *Locke 3: Replique à Mr: Stilling:* (f) *Element: Metaph: Part: alt cap: 1. n. 18. prop: 14. pag: mihi 91.* (g) *Lib: 2. de ordine.* (h) *„Quum divina volun„tas æternæ Dei Sapientiæ esse contraria nequeat; possintque ex rerum natura „plures divinæ Sapientiæ rationes à nobis intelligi; & voluntates, quæ ad eas „rationes pertinent, intelligi à nobis posse, equidem nemini ambiguum esse puto. „Ut ecce, Deum velle mundum existere, quem conservat tanto ordine ac provi„dentiâ; item velle omnia ex æterno ordine in eo fieri; tum homines & se con„servare, ac mutuò se fovere & amare, ac plura ejusdem generis, perspicua ego „esse ajo ex naturæ ipsius contemplatione. Itaque quamquam divinam homines „Sapientiam & Voluntatem plenè & adæquatè nullo pacto comprehendere possunt, „sunt tamen plurima, quæ naturæ res spectant, in quibus liquidò rationes ac vo„luntatem Dei intelligimus. Ad id nos genus referre hoc possumus, de quo di-*

XXXVIII. *Scholion II.* In Concilio III. Constantinopolitano (quod est VI. Generale) tota Actio 11. consumpta est in propositione Epistolæ Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum, in qua hæc habentur: „Intellectualia, atque invisibilia nullatenus quidem moriuntur, neq; „corrumpuntur, non tamen sunt *immortalia per naturam*, sed *gratiam* „eis largitus est (Deus), à corruptione ea, & à morte coërcentem: „sic hominum animæ permanent incorruptæ, sic immortales perse„verant„. Quæ deinde Epistola ab ejusdem Ecclesiæ Patribus Actione 13. approbata minimè contradicit intrinsecæ Animarum nostrarum indeficientiæ. Equidem: non sunt Animæ humanæ immortales per *naturam* strictè loquendo, quatenus soli Deo, qui tum intrinsecè, tum extrinsecè immortalis est, competit; sed in latiori sensu, quatenus tantùm ab intrinseco immortales sunt, vel etiam ab extrinseco, si causas creatas spectaveris: vel non sunt immortales, immortalitate per essentiam, & per omnimodam indefectibilitatem; sic enim verum est *Solum Deum habere immortalitatem* (a); quæque nulli creaturæ competit: cùm omnis saltèm à Deo annihilari possit; sed immortalitate participata. „Multa verò distantia est inter habere & tribuere, dona„re &

„*sputamus, mentem humanam esse quum ex natura sua, tum etiam ex divina* „*voluntate non* indestructibilem *modò, sed immortalem quoque. Quid enim* „*attinuisset & simplicem illam creare, &* essentialiter *intelligentem ac viven*„*tem, & æterni cupidam, atque sempiternum spectantem, ubi tota ejus existen*„*tia non brevi solùm unius sæculi ambitu, sed plerumque unius mensis, ac non*„*nunquam etiam unius diei, contineatur? Artifices inter homines machinarum* „*naturam, quas construunt, ei tempori aptare solent, cui destinant. Ita ex iis* „*intelligere facilè, perpetuonè ut essent, voluerint auctores sui, an menstruæ, an*„*nuæ, seculares: Nemo ignorat, æternitati Ægyptios Pyramides suas ædificare vo*„*luisse, qui tantas moles molibus aggerrârunt. Cur non idem ego ex Dei ope*„*ribus conjiciam? Præsertim cui nec efficiendi scientia, nec potentia desit, cuique* „*res subjectæ, non, ut homini, resistunt, sed parent, ut sit in iis, quod Scholæ* „*more suo dicunt,* potentia obedientialis *Dei activæ potentiæ ejusque impe*„*rio æqualis. Accedit, quòd quædam humanæ mentis aut facultates, aut pro*„*pensiones sunt, quæ suapte natura in infinitum tempus feruntur, quales intelligen*„*tia, voluntas, providentia, quarum in iis animantibus, quorum tota vita heic ab*„*solvitur, nullum est vestigium. Hinc futuri providentia in homine, quæ nulla* „*in brutis.* Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint. *Quid autem causæ esse* „*dicemus, quòd ex omnibus animantibus solus homo curam ac providentiam su*„*am ultra vitam porrigat longissimè? Hæc me monere videntur, me ad æternita*„*tem generari, cui ego vel imprudens studeo, & ad quam naturâ ipsâ rapior„.* *Anton. Genuen. loc. cit.*

(a) 1. *Tim.* 6. 16.

„re & accipere„ (a). Nempe: non sunt immortales per naturam improductam, sed per naturam ab alio productam. Sunt immortales per *gratiam* in sensu latiore acceptam pro dono Creationis, Conservationis; vel pro dono, quod Deus absolutè potuisset negare; non verò per gratiam, quæ excludat naturalem exigentiam immortalitatis: gratìs enim Deus produxit & conservat Angelos, & animas rationales. Nec arbitraria est hæc commentatio: nam idem Concilium dicta Actione 13. approbando relatam Epistolam inquit: „Per„tractavimus autem & Synodicam Sophronii Archi-Episcopi Hie„rosolymitani, & hæc reperientes cum una fide convenientia, Apo„stolicisque, & SS. Patrum doctrinis paria, utpote quæ sunt ortho„doxa, recipimus, & ùt salubria S. Dei Ecclesiæ suscipimus, & no„men ejus (Sophronii) inseri sanctis Diptychis SS. Ecclesiarum ju„stum esse judicavimus„ (b). Porro ex SS. Patribus D. Ambrosius (c): „An mori divinitas potest, cùm anima non possit„? Et (d) „Non enim mori animam cum corpore manifestum est, quia non „est de corpore„. Gregorius Nissen. (e): „Mors non attingit ani„mam: quomodò enim dissolvi potest, quod non est compositum?„ Demum S. Thomas super illud Damasceni (f) „Angelus est *gratiâ* „non *naturâ* immortalitatem suscipiens„: inquit (g) „Dicendum, „quòd sicut dicit Augustinus, vera immortalitas, est vera immutabili„tas. Immutabilitatem autem, quæ est secundùm electionem, ne sci„licet de bono in malum mutari possint, tam anima, quàm Angelus „habent per gratiam„.

XXXIX. *COROLLARIUM I.* Negatio immortalitatis animæ humanæ est fons, ex quo multa absurda profluunt. I. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus*, id est: si nihil superest post hanc vitam, *miserabiliores sumus omnibûs hominibûs* (h). Nimirum: quia expertes bonorum hujus vitæ & futuræ, insuper assiduos labores, & acerbas persecutiones sustinemus. Feliciores ergo erunt, qui fuerint sceleratiores, & carni magìs mancipati, illi miseriores, qui contemptìs carnis illecebrìs vacant sapientiæ, colunt pietatem, servant justitiam, mentem verbìs ostendunt, nil callida machinatione simulant, nullas injuriis contumelias reddunt, pro maledicentibus orant, paupertatem quærunt, possessa relinquunt, rapienti non resistunt, percutienti alteram maxillam præbent (i): imò optimi & sanctissimi erunt infelicissimi

(a) *Beda Homil. sup. Luc. 9.* (b) *Barth. Carranza loc. cit. pag. mihi 200.* (c) *Lib. 2. de Fide cap. 3.* (d) *De Bono mortis cap. 9.* (e) *Orat. Catha. cap. 8.* (f) *Lib. 2. Orthod. Fid. Cap. 3.* (g) *q. 2. de anim art. 14. ad 3.* (h) *1. Cor. 15. 19.* (i) *S. Greg. Pap. in lib. Moral. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.*

ciſſimi & miſerrimi: quia maximè à carnis voluptatibus alieni: cùm eam variis modìs affligant & macerent. II. Si anima noſtra mortalis eſſet, fruſtrà fuiſſet nobis ab Auctore naturæ indita illa beatitatis, ac veræ felicitatis cupiditas, cujus tamen unusquisque noſtrum ſibi conſcius eſt (a). Ea enim exſatiari non poteſt, niſi ejuſmodi bono, quod & ſummum ſit, & quod numquam nobis eripiendum videamus. Quòd ſi autem ea non exſaturabitur unquam, profectò deterioris conditionis ſumus ipsìs beſtiis, quibus cæteroquin naturâ longè excellimus. Subjicitur enim natura humana in hac vita ærumnis innumeris, à quibus beſtiarum natura eſt immunis. Aſſiduè ſollicitatur curìs, exagitatur timoribûs, tabeſcit invidiâ, conficitur mærore, cruciatur deſideriìs, uritur aliena proſperitate, ſemper anxia, ſemper querula, numquam ſua ſorte contenta, numquam animò tranquilla. His adde paupertatem, exilia, carceres, ſervitutem, orbitatem, infamiam, matrimonii jugum, liberorum educationem, fortunarum jacturam, præteritorum pænitentiam, futurorum ſolicitudinem, tot labores & ſudores, ut caro miſera ſuſtentetur, ut ab injuriis àëris vindicetur, ut miſeram vitam trahat: tot errores, tot ſuſpiciones, tot fraudes, tot morbos, languores, & dolores, quibus noſtra mortalitas eſt expoſita. At beſtiarum genus ab omibus hiſce malis fere eſt liberum, & ſumma in tranquillitate ac libertate vivit. Quod ſi ævum conſideres, multis id animantium eſt longius, quàm homini, ùt cervis, elephantis, corvis. Si locum & regionem; quid optabilius, quàm vivere in ſublimi àëre procul à cæno & fæce terrena, & celerrimo volatu ingentes ætheris tractus breviſſimo tempore transmittere. Si corporis habitum; longè commodiùs eſt pilìs vel plumìs veſtiri, quæ corporis agilitatem non impediunt, quàm externarum veſtium pondere gravari. Si voluptates corporis, iìs magìs aſſiduè & ſincerè fruuntur beſtiæ, quæ tot dies paſtui ſunt deditæ, & venerem abſque verecundiæ metu & crebriùs exercent, & appetitiones ſuas hac in vita pleniſſimè exſatiant. Unde S. Auguſtinus (b) inquit: „Si pecora eſſemus, carnalem vitam, & quod ſecundùm ſenſum ejus eſt, „amaremus; idque eſſet ſufficiens bonum noſtrum, & ſecundùm hoc „cùm eſſet nobis bene, nihil aliud quæreremus - - - Quoniam igitur homines ſumus, ad noſtri Creatoris imaginem creati - - - ad „nos ipſos reverſi ſurgamus, ut ad illum redeamus, à quo peccan-

„do

(a) *S. Auguſt.* „*Vitam beatam appetere, vitam beatam concupiſcere, deſiderare, ſectari, omnium hominum eſſe arbitor --- nam & qui bonus eſt, ideo bonus eſt, ut beatus ſit; & qui malus, malus non eſſet, niſi inde ſe beatum eſſe poſſe ſperaret. Vide S. Th. in 2. diſt. 24. q. 1. art. 2.* (b) *Lib. 11. de Civ. Dei, cap: 29.*

„do recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nôsse „nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit „offensionem„. III. Si perit unà cum corpore anima, ergo totus ille mundi apparatus idcirco solùm instructus erit à natura, ut homo ad breve tempus, ad momentum inquam vivat, comedat, bibat, dormiat, generet, & mox funditus pereat. Nimirum hoc totum erit bonum, hic finis & fructus tantæ molitionis. Idcirco assiduò rotantur cæli, moventur sol, luna, sidera, in hunc finem instituta alternatio dierum & noctium, vicissitudo temporum: idcirco spirant venti, coguntur nubes, funduntur imbres; idcirco terra tot species florum & fructuum effundit, tantas opes sinu suo condit; mare tot piscium genera producit; àër tot volatilibûs scatet, & omnis natura in hunc finem parit & laborat: nempe ut mortale animal homo in multis miseriis, in multa ignorantia, & animi pravitate, ad modicum tempus vivat, mox in nihilū reversurus. Si nullum aliud tantæ rei & operæ est pretium, nullus alius fructus, ergo frustrà omnia illa instituta sunt, frustrà in omnibus operatur natura, frustrà constat totus hic mundus aspectabilis. Quid enim boni habet tam brevi tempore in tantis animi & corporis miseriis vivere? Non enim illud per se bonum est, aut optabile: tum quia tantîs permixtum malîs; tum quia nullum bonum corporale per se expetendum. Nam sicut corpus est propter animam; ita bona corporalia referenda ad bonum animi. Neque etiam est optabile propter aliud bonum, ad quod per hanc vitam transeatur: quia supponitur nullum tale superesse. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs* (a); nempe si in se spectentur, nec ad futuram vitam juvent. Adde vitam istam corporalem non solùm nihil habere boni, quod sit alicujus momenti, sed etiam tantis implicari malis, ut congruentiùs sit, si natus non fuisset homo, quàm accepisset animum morti obnoxium. Ex quibus consequens est, hominem & ipsum mundum non solùm frustrà esse factum, ùt ex quo tam parum extet boni, ut fructus non constet operæ; sed malè à natura comparatum, quòd genus humanum unquam in lucem prodierit. IV. Quis durum virtutis iter capessat, cupiditatem frangat, libidinem domet, ab alieno abstineat, numen colat, si nihil inde speret commodi, nec ullus hujus laboris est fructus? (b) En impiorum

(a) *Eccle 1. 14.* (b) „*Quis cùm hoc (animam scilicet interire) affirmari „audiat, vitiîs & sceleribûs abstineat? Nam, si perituræ sunt animæ; appetamus „divitias, ut omnes svavitates capere possimus. quæ si nobis desunt: ab iis, qui „habent, auferamus clam, dolo, vi, eò magis, si humanas res Deus nullus cu„rat, quandocumque spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis*

piorum, qui animam cum corpore interire opinantur, ratiocinium! *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium* (Græc: *Remedium*) *in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Id est: in morte nulla nobis est expectanda consolatio, cùm nemo reversus sit ab inferis. *Quia ex nihilo* (casu & temere) *nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla* (a) *ad commovendum cor nostrum: Quâ extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aër, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata: Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter. Vinô pretiosô, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis* (Gr: *Aëris, odoratûs vapor*). *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex* (b) *justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis* (Gr. *Molestus*) *est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos* (c) *peccata disciplinæ nostræ. --- Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta* (d) *Dei, neque mercedem speraverunt* (post resurrectionem) *justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum* (e). *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis* (Gr:

Propri e-

„*est enim malè facere, si & utile sit, & tutum: quoniam si quis in cælo Deus*
„*est, non irascitur cuiquam. Æquè stulti est & bene facere: quia sicut irâ non mo-*
„*vetur: ita nec gratiâ tangitur. Voluptatibus igitur, quoquo modo possumus,*
„*serviamus. Brevi enim tempore nulli omnino erimus.* (Comedamus, &
„bibamus: cras enim moriemur. *Isai. 22. 13.*) *Ergo nullum diem, de-*
„*nique temporis punctum fluere nobis sinè voluptate patiamur: ne, quia ipsi quan-*
„*doque perituri sumus, id ipsum, quòd viximus, pereat*„. *Firm. Lactant. lib. 3. de fals. Sapient: n. 17. pag: mihi 165.*

(a) *Quæ vitalem cordi calorem impertit, & statim extinguitur.* (b) *Justum habeamus & licitum, quod virilibus nostris præstare possumus.* (c) *Evulgat contra nos.* (d) *Arcana judicia & mysteria.* (e) *Non intellexerunt splendorem gloriæ, quæ sanctitatis præmium futura est.*

Proprietatis) (a) *suæ fecit illum* (b). V. Si animus omnino penderet à corpore, nec posset extincto corpore consistere, nihil adeò horreret ac mortem, nec quidquam adeo illi esset carum, quod non libenter ad mortem arcendam expenderet: Mors enim corporis animum omni bonô spoliaret, essetque summum ejus malum, & vita præsens summum bonum. Porro contrarium experimur: cùm plurimos vitam istam, &si omnibûs bonîs fortunæ circumfluentem, parvi æstimâsse, eamque pro laude, fama, libertate, pro vitando dedecore, pro virtutis pulchritudine libenter profudisse; nec, qui manu sua illam abrumperent, ut dedecus aliquod, vel molestiam animi declinarent, vel laudem consequerentur, defuisse novimus. VI. „Si „falsum est dogma immortalitatis Animarum nostrarum, falsa est & „conficta fabula Sacra Scriptura: falsa Prophetarum Oracula: falsa „Christi doctrina & prædicatio: falsa Ejus miracula: falsa, quæ de „Ejus (Incarnatione, Passione) Resurrectione, de quadraginta dierum „cum Apostolis post Resurrectionem tractatione, de Ascensione, de „Spiritu S. in Apostolos, & alios fideles effuso, ab Evangelistis sunt „prodita. Decepti sunt omnes, qui Christi religionem suscepêre: „frustrà tot myriades Sanctorum carnem domuêre; pietatem, justi„tiam, innocentiam, temperantiam, & virtutum genus omne tantô „studiô, tantoque labore coluêre. Frustrà omnia Ecclesiæ Sacramen„ta, omnia Sacrificia, omnia instituta, omnes divinæ Laudes, omnis „Ecclesisticus Ordo, omnes Sacri Conventus, omnes Prælatorum & „Pastorum labores, omnis Patrum doctrina, omnis Christianorum vi„ta: hæc omnia, si anima cum corpore extinguitur, frustrà sunt, „inania, nullius frugis, falso & commentitio subnixa fundamento: „& omnes, qui sanctitate vitæ, prophetiæ donô, miraculorum glorìâ, „cælestî sapientiâ, omnibûs seculîs celeberrimi extitêre, decepti sunt, „& à vero aberrârunt; solisque impuris, improbis, Epicureis, veri„tas patefacta„ (c).

XL. *COROLLARIUM II.* Sed illud maximum absurdum est, deficientiam Animæ nostræ consequens, quod S. Chrysostomus (d) eleganter prosequitur: „Si nihil est post hanc vitam, ne Deus qui„dem est: Sin Deus est, justus est: quòd si justus sit, pro dignitate „tribuet unicuique: sin nihil post hanc vitam sit, quomodò, quod „par est, recipiet unusquisque? Attende verò: Multi præter meritum suum,

(a) *Illud enim Dei proprium est, ut sit per se immortalis. Alii Codices Græci habent:* Æternitatis, *ut notat Johan. Bapt. Du Hamel in Annot. Bibl.* (b) *Sap. 2. à v. 1. ad 23. inclusivè.* (c) *Leonard. Lessius lib. 2. de Immort. Animor. num. 50. pag. mihi 299.* (d) *Serm. 4. de Provid.*

„suum, quemadmodùm ipsi initiò confessi sunt, multa bona accipi-
„unt in hac vita, & cum honore sunt (a): alii verò suppliciîs affi-
„ciuntur, qui cum justitia vixerunt (b). Quòd si nullus sit locus
„his, post hanc vitam, injuriâ affecti discedent justi, & præter meri-
„tum, bonîs fruentur injusti. Quòd si sit, quomodò esse justitia
„possit? vel enim aliquem locum esse necesse est, qui meritis suis
„redderet unicuique; in hac vita enim hoc non invenitur: vel si ta-
„lis locus non sit, quomodò pro meritis suis recipiet unusquisque?
„(c). Sin nemo secundùm merita recipiet, ne Deus quidem, tuâ
„sententiâ, justus est. Sin non Deus justus sit, ne Deus quidem
„erit. --- Deum esse res omnes clamitant, atque adeò justum esse.
„Sin justus sit, pro dignitate sua reddet unicuique: sin pro dignita-
„te sua reddat unicuique, necesse est aliquem post hanc vitam esse
„locum, in quo pro dignitate sua recipiet unusquisque, & vel pœ-
„nas dabit, vel in honore erit, propter illa, quæ ab eo gesta sunt„.
Similiter argumentatur S. Clemens (d): „Si Deus justus est, anima

F „immor-

(a) Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibûs. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos --- Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus illum? *Job: 21. à v. 7. ad 15. inclusivè.* (b) Justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua. *Eccle. 7. 16. Legesis 2. Machab: cap: 6. & 7.* (c) *Quod enim dicunt aliqui: Posse Deum in ultimo vitæ momento piis solatium immittere intensissimum, malis dolorem acutissimum, æquivalentem longissimis cruciatibus, adeoque utrorumque meritis proportionatum. Profectò potest ùt absolutus Dominus, non verò ùt providus Gubernator: „Nec tale præmium, nec iste dolor „foret de se, universaliter, & practicè sufficiens medium (sive ad absterrendum à „vitio, sive ad alliciendum ad virtutem) nam delectatio momentanea, aut pœna „instantanea, quantumcumque intendatur, sua brevitate sensum aut horrorem minuit saltèm in æstimatione vulgi. Quare licèt talis intensissimus cruciatus possit „pœnæ æternæ æquivalere quò ad intensionem, non tamen æquivalet quò ad vim „absterrendi, prout experientia docet in maleficis„. Hauser tom: 3. Elem: Phil: part. 1. Psychol: q. 5. art: 2. n. 10. pag: mihi 89.* (d) *Lib: 3. Recognit.*

„immortalis est„. Et Origenes (a): „Ubi esset justitia Dei, ubi bo-„norum merces, si anima esset mortalis?„.

XLI. *COROLLARIUM III.* Atque inde manifestè colligimus, quàm rectè dictum sit: „Asserere Animam humanam non esse im-„mortalem, est gradus ad Atheismum (b). Quia 1. sententia illa tol-„lit è vita humana omnem probitatem, inducitque Epicureismum, „& omnem impietatem (XXXIX. IV.). Unde S. Augustinus (c): „Disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bono-„rum & malorum: Epicurum accepturum fuisse palmam in animo „meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & „tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit„. Et Cornelius „à Lapide (d): „Sicut animæ immortalitas impellit hominem, ad „metum cultumque Numinis, per modestiam, puramque vitam: sic „mortalitas animæ homini persvasa, inducit eum ad negandum Nu-„men, omnemque Religionem, ut homo liberè vivat, sequaturque „suas libidines„. 2. Opinio de mortalitate animæ tollit Deum: fa-„cit enim Eum non esse justum, nec providum: quia nec Vindicem „malorum, nec Remuneratorem bonorum (Coroll: præc:). 3. Qui ne-„gat animæ immortalitatem, is patenter despicit Auctoritatem S. Scri-„pturæ, necnon Christi Domini: ab utrisque enim evidenter asseri-„tur immortalitas animæ: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, „evigilabunt* (e): *alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant „semper* (f). *Ivit homo in domum æternitatis suæ.* (g). *Justorum animæ „in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis* (æternæ). *Visi sunt „oculis*

(a) *Super Cantica.* (b) P. *Georg: Gengell in Opusc. Gradus ad Atheismum Tract.* 2. *cap.* 5. *pag: mihi* 44. *probans hanc Propositionem:* „*Tam eorum sententia, qui „docent: Quemlibet honestè viventem, in quacumque secta Religionis Christianæ, „posse salvari; quàm illorum, qui sentiunt, animam humanam non esse immorta-„lem, est gradus ad Atheismum*„. *Porro nomine gradûs, ùt idemmet ipse Au-ctor se explicat in Prologo ejusd: Opusc. non intelligit, ex quo inevitabiliter fiat descensus in voraginem atheisticam, seu ad negandam existentiam Dei: sed inni-xus Scripturæ Sacræ, ac Sanctorum sensui, præcipuè Chrysostomi, Bernardi, & aliorum, quos in eod: Opusc. citat, Nomen* Gradus *sumit pro dispositione tali, qua habitâ, jam per se loquendo, non omnino difficile sit, fieri Atheum.* (c) *Lib.* 6. *Confess. cap.* 16. *n.* 1. *pag. mihi* 137. (d) *In lib: Sapient: cap.* 1. „ (e) *Omnes quidem resurgent, sed non omnes evigilabunt, ut videant lucem „æternam. Quidam legunt* Alii in opprobrium, ut vilescant semper; „*melius: ut videant opprobrium suum. Vox* Multi, *sæpe in Scriptura pro „omnibus sumitur, ùt Rom:* 5. 19. „*Johan: Bapt: Du Hamel.* (f) *Daniel.* 12. 2. (g) *Eccle.* 12. 5.

„*oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum: Et quod à* „*nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace* (a). *Justus si morte* „*præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (b). *Justi autem in perpetuum vivent* „*& apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum* „(c). *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt oc-* „*cidere* (d). *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (e). „*Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (f) *&c.* „Insuper negans Immortalitatem animæ, despicit consensum omnium „Gentium etiam barbararum, omnium ætatum, omnium sapientissi- „morum asserentium animas humanas non interire (XXXVI. prope „finem). Porro si quis origine Christianus, interque eos educatus, „contemnat Auctoritatem Christi Domini, Divinæque Scripturæ, nec- „non cunctarum Gentium consensum, sitque in libidinem, aliaque „scelera totus effusus, eum ab Atheismo vix uno passu distare, nul- „lus prudentum diffitebitur„.

XLII. *Scholion.* Immortalitatem animæ humanæ per Cartesianam Philosophiam convelli deducit P. Andr: Rudzki (g) sequentibus Propositionibus: *imâ*: „Apud Gassendum (h) quemadmodùm Pöëtæ „fingunt, ab Jove quidem fata fuisse condita, sed postquam condi- „ta fuêre, ipsum se ipsis servandis obstrinxisse, ita ego puto, essen- „tias rerum, mathematicasque veritates, quæ de ipsis cognosci pos- „sunt, esse independentes à Deo, sed puto nihilominus, quia Deus sic „voluit, sic disposuit ipsas immutabiles„. *2dâ*: Anima est actualis cogitatio. „*3tiâ*: Animam non posse naturali ratione convinci esse immortalem, „nisi ex eo, quòd bruta omnia sensu careant, anima verò sola est „cognoscitiva„. Per *imam* quidem: quia Animam nostram ex natura „sua immortalem esse, manifestum facere demandavit Philosophis „Concilium Lateranense (XI.), animadvertens in eos, qui animam „immortalem quidem ex natura juxta Fidem, sed juxta Philoso- „phiam, mortalem, distinctiunculâ de Sophistarum gurgustiis acce- „ptâ, asserere non verebantur, prout Pomponatium, Cæsarem Cre- „monium, sensisse Ptolomæus attestatur. Porro Cartesiana Philosophia „Concilio, & rationibus Philosophicis de immortalitate animæ, est „contraria. Nam Concilium, Animam rationalem ex natura sua im- „mortalem, immutabilem demonstrandam injunxit, idque probant ra- „tiones adductæ (XXXVI.): per Cartesium anima rationalis non per „naturam, sed per Voluntatem Dei est immortalis. Per *2dam*: Quid enim

 „inten-

(a) *Sapient.* 3. v. 1 2. 3. (b) *Ibid: cap:* 4. 7. (c) *Ibid. cap.* 5. 16. (d) *Matt.* 10. 28. (e) *Matt.* 25 46. (f) *Joan.* 12. 25. (g) *In quæst: erud. Arist: Philos:* § 3. (h) *Tom:* 3. *in dubit. ad Cart: Metaph:*

„intendat hæc insipida explanatio, nisi mutabilitatem animæ? Variæ „cogitationes sunt humanæ, ad variationem essentiæ variaretur anima? „Cogitationes in ictu oculi avolant, anima etiam avolabit? Per *3tiam* „quia ludibrio exponit Epicureis Christianam Philosophiam, utpote „imbellem, inopem, ad evincendam animæ immortalitatem minimè „idoneam. Quodsi Epicurus & Averroista consentiet, utpote con„formiùs ad saniorem Philosophiam, animas sensitivas brutorum co„hærere cum sensu & organis videndi, audiendi &c: quo ariete „mortalitas animæ expugnabitur? Animas sensitivas brutorum exclu„dere è creaturarum numero non solùm improbabile, sed erroneum, „ex persvasione omnium hominum, qui, ut se sentire, dolere, ge„mitus, dum verberantur, pati, ita & bruta; imò & memoriam in „illis cum S. Augustino (a) advertunt. Quis machinam sensu de„stitutam ex: gr: horologium, cibô allicit, baculô fugat, voce & ap„plausu incitat? In errorem adductô fundamentô, qua ratione ani„mæ immortalitas non subvertetur? Obstinatè, sed rationabiliter „intrudet quispiam ex: gr: bos, canis, equus, oculô non videt, per„cussa cute non dolet, diducto ex visceribus gemitu non angitur: „igitur & homo doloris & sensus expers? solùmque animâ ratio„li ad officium intellectionum præmunitur? Imò, cùm sagacitas ca„num, prudentia elephantum, astutia vulpium, psittacorum, simiarum „vis quædam raciocinandi (b), in machinas elasticas, in sangui„guinem subtilissimum, in spiritus animales refunditur, quo ictu re„tundetur, si quispiam recentiori Philosopho magis recentior, sa„gacitatem, prudentiam, astutiam, & alia ratiocinandi specimina in „hominibus, in similia principia conjiciat?„. Hæc ille.

XLIII. *COROLLARIUM IV.* Indeficientiam Animæ rationalis esse nobis naturaliter ingenitam, ex tribus præcipuis signis manifestè colligitur. Primò quidem à religione, seu instinctu ipso, omni hominum generi communi, quo ubique & semper divina quædam vis & Natura hujus mundi Domina & Conservatrix perspicitur, obsecratur, & colitur. Nec obstat, quòd apud diversas gentes diversi sunt ritus

(a) *Lib: de Musica: „Puto te negare non posse bestias habere memoriam, nam „& nidos post annum revisunt hirundines, & de capellis verissimè dictum est: „Atque ipsæ memores redeunt in tecta capellæ; & canis Dominum jam suis ho„minibus oblitum recognovisse prædicatur, & innumerabilia, si velimus, adverte„re possemus, quibus, quod dico, manifestum est„.* (b) *„Cic: lib: 2. de na„tur: Deor: Miratur ingenium avis Plataleæ quæ astu & vi cibum ex rostris „marinarum avium extorquet. Testudo viperæ venenô morsa, medicinam provi„det origani pastu: vulpes laricis lacrymâ vulnera curat„.*

ritus & inst tuta religionis, & apud eamdem gentem pro diverso tempore mutantur leges, & novæ crescunt de colendo Deo sententiæ: ,,Est enim apud homines religio, sicut sermo & comestio, & victus. Nam naturale est homini loqui, comedere, vestiri. Quòd autem sic vel sic loquatur, comedat, vestiatur, non est naturale: quia naturalia non mutantur, sed voluntarium; ideo illa semper permanent, modi autem variationes ex voluntate & ratione suscipiunt. Sic & religio naturalis quidem est homini, modi autem & ritus voluntarii, ideo illa semper permanet, hæc autem sæpius mutata sunt, & mutabuntur,, (a). Jam quicumque Deum veraciter colunt, ideo colunt, quia inspectâ naturæ humanæ excellentiâ super omnia bruta, ad imaginem similitudinemque illius se esse progenitos, naturali instinctûs lumine cognoscunt; nôrunt autem corpus morti obnoxium, sensibile, multiforme, dissolubile, mutabile non esse simile Deo immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, immutabili: est ergo similis Deo anima immortalis, intelligibilis, indissolubilis & simplex, atque immutabilis secundùm substantiam, licèt variabilis appehensione & affectu. Colunt item Deum, ut benefaciat colentibus Eum: cognoscunt autem evidenter, Deum non remunerare pro hac vita omnes veraciter se colentes, ergo naturaliter colunt Deum futuræ vitæ gratiâ; futuram autem vitam non crederent, si de indeficientia animæ suæ dubitarent. Alterum signum ex ipso naturæ statu & legum sumitur. Statum quidem naturæ dicimus, quando homines non ex conditis & scriptis legibus, sed solo rationis dictamine viventes operabantur, quales fuerunt ante Legem Mosaycam, ante Ægyptiorum, Persarum, Græcorum, Romanorum legum Conditores. Jacob audita morte Joseph, *noluit consolationem accipere* ab aliis filiis, *sed ait: Descendam ad filium meum lugens ad infernum* (b). Hesiodus & Orpheus Pòëtarum, qui de divinis scripserint, vetustissimi, de animorum immortalitate apertissimè scripserunt. Ex statu conditarum legum idem signum sumitur. Nam qui justè & bene dispositæ legis Conditores fuerunt, sic quidem processerunt, ut nullus mortalitatem animorum enuntiaret, minùsque suaderet; omnes autem aut virtualiter, aut expressè oppositum induxerunt: cujus argumentum ex eo maximè sumitur, quòd omnis sive divinæ, sive humanæ legis Lator, in Numen aliquod legem acceptam reduxit, primamque & præcipuam de divino cultu & religione instituit legem. Hinc Zoroaster Bactrianis& Persis leges tradens reduxit in Oroma-

sim-

(a) *Chrysost: Javellus Canapicius 3. p. tract: de indefic: anim: human: cap: 1. pag: mihi 79.* (b) *Gen: 37. 35.*

ſim. Thermegiſtus Ægyptiis in Mercurium. Moſes Hebræis in totius naturæ Patrem & Auctorem Deum. Minos Cretenſibus in Jovem. Carondas Carthaginenſibus in Saturnum. Lycurgus Lacedæmoniis in Apollinem. Solon Athenienſibus in Minervam. Numma Romanis in Egeriem. Xamolchis Scythis in Veſtam. Plato Siculis in Jovem & Apollinem. JESUS Servator noſter in Deum Patrem: *Omnia quacumque audivi à Patre meo, nota feci vobis* (a). Poſtquam autem omnis legis Conditor legem in aliquod Numen retulit, primò de religione legem inſtituit, conſentaneum rationi judicans, juſtum fore, ſi homines Deum colerent, cujus bonitate ſervantur: ad hoc autem præſtandum credulitate de animi indeficientia inductos fuiſſe, facilè intelligitur. Jam ſi vitam, moreſque bonorum, qui ſapientiæ ſtudium ſanctitati vitæ conjunxerunt, contemplemur, evidentiſſimum ſignum habebimus, indeficientiam animi eſſe homini naturaliter inditam. Tales namque non modò verbis & ſcriptis, ſed vitæ ſanctimoniâ, & morum probitate, & patientiâ in adverſis, & præcipua religione declarârunt, quaſi à natura ſibi inſertam de animæ immortalitate ſententiam. Neque putandum eos finxiſſe, aut præcilè imaginationes compoſuiſſe: quoniam hujus rei gratiâ vitæ periculoſæ ſe exponebant, ſtudioſis operibus jugiter inſiſtebant, & veluti ab omni corporis voluptate ſeparati, præſentem vitam terminare contendebant.

XLIV. *COROLLARIUM V.* Cùm verum vero minimè contradicat (XI), ſequitur rationes quaſcumque immortalitatem animæ humanæ impugnantes non poſſe eſſe nisi falſas. Atque ratio illa præcipua ex analogia corporum, quæ hominibus cum brutis intercedit, quòd ſimiliter concipiantur, formentur, naſcantur, alantur, augeſcant, ſeneſcant, partibûs tum internis, tum externis, quæ ſingulæ ſimiles uſus in utriſque habeant, conſtent, moriantur que, petitur: nullius eſt momenti. Etſi enim inter homines & bruta magna ſit affinitas, ſi corporis ſtructura, & ſingularum partium uſus ſpectetur; inter animam tamen hominis, qua parte ratione prædita eſt, & animam brutorum, infinita propemodùm eſt diſtantia: ex qua meritò colligimus, illam utpote ſuperioris & divini ordinis non interire, etſi hæc brutorum unà cum corpore extinguatur. Nam beſtiæ nullo modo percipiunt ea, quæ ad homines pertinent: nec ulla eſt inter hos & illas negotiorum & conſiliorum communicatio. Neſciunt canes & equi, divesnè vel pauper? nobilis vel ignobilis? ſenex vel juvenis? ſanus vel æger? matrimonio junctus vel cælebs? pius vel impius? Polonus vel Gallus ſit Dominus? nihil horum diſtinguunt, vel appre-

(a) Joan. 15. 15.

apprehendunt: unde nec gaudium, nec mærorem ex iis, quæ hominibus obveniunt, concipere possunt. Vident solem & lunam, arbores & domos, urbes & villas: sed non cogitant, quid illa sint, vel quem usum habeant, vel unde proveniant. Tota eorum notitia ad pauca est restricta & limita: nempe ad ea, quæ ad pastum, & venerea pertinent, vel naturæ eorum sunt amica, aut inimica: de his solis pro suo captu judicant, idque confusò & brutò modò, sub imagine commodi vel incommodi, convenientis vel adversantis ea concipiendo. Non alia ratione amant herum, nisì quia per phantasiam apprehendunt illum specie commodi, quòd pabulum illis suppeditet, vel corpus bene afficiat: nec alia ratione ovis fugit lupum, nisì quia naturæ instinctu concipit, ùt sibi adversum: causas commodi & incommodi non cogitant. Itaque cùm bruta animantia habeant notitiam adeò rudem & restrictam, nec quidquam nôrint; nisì quod ad corporis & vitæ conservationem pertinet; nec ulla re delectentur, aut doleant, nisi quatenus ea res corpus bene vel malè afficit; manifestè, colligimus, animum eorum simul cum corpore interire. Si enim anima cognoscendo & appetendo non potest se elevare ad aliquid, quod est supra corpus, & propriè ad naturam spiritualem pertinet; perspicuum est ipsam non esse spiritualem, nec supra corpus elevatam, sed naturæ corporeæ penitus immersam. Substantia enim rei cognoscitur ex operatione: operatio verò ex objecto, circa quod versatur. Itaque cùm hoc objectum, ejusque ratio formalis (quæ est commodum vel incommodum corporis) corpus tantùm respiciat, necesse est substantiam animæ corpori adstrictam esse. At longè aliter se res habet in homine: quia cognitio ejus est omnino illimitata. Cognoscit enim omnia rerum genera, omnes gradus naturarum; neque solùm ea, quæ sunt, sed etiam, quæ non sunt. Fingit animo quidlibet, & novos in mente sua architectatur mundos: concipit rationes rerum universales, à singularibus, à materia sensibili, à loco, à tempore abstractas, easque per se contemplatur. Inquirit rerum omnium rationes, causas, effectus, proprietates, & de omnibus judicat. Hæc omnia manifesta sunt argumenta, mentem humanam non esse corpori immersam, sed substantiam spiritualem, à corpore separabilem absque sui interitu. Quando verò dicitur: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumentô amplius* (a). vel in personâ impiorum animæ immortalitatem negantium dicitur (b): vel certè, quod unus sit interitus quantùm ad moriendi

(a) *Eccle. 3. 19.* (b) „*Dicendum, quòd Salomon inducit rationem illam ex per-*

moriendi neceſſitatem, non verò quantùm ad moriendi modum: Homo enim & jumentum intereunt, ſed diverſimodè; cùm hujus anima morte pereat, illius poſt mortem ſubſiſtat. Dein, eſto plures in homine appareant operationes corporeæ, vegetationes nempe & ſenſationes, quam ſpirituales, non poteſt tamen, niſi ineptè inferri anima hominis mortalis: Equidem non manifeſtatur rei natura, niſi ex ſibi propria, & ex nobiliori ſua operatione, ſi poteſt habere plures: unumquodque enim eſt propter ſuam propriam operationem. Vegetare autem & ſentire non ſunt propria animæ opera, ſed conjuncti;

quoni-

,,*ſona inſipientium, ùt exprimitur Sap. 2. 1.* (Dixerunt cogitantes apud ſe
,,non rectè &c. *XXXIX. IV.*) *Quod ergo dicitur, quòd homo & alia*
,,*animalia habent ſimile generationis principium, verum eſt quantùm ad corpus:*
,,*ſimiliter enim de terra facta ſunt omnia animalia, non autem quantùm ad*
,,*animam. Nam anima brutorum producitur ex virtute aliqua corporea: ani-*
,,*ma autem humana à Deo. Et ad hoc ſignificandum dicitur Gen: 1. 24.*
,,*quantùm ad alia animalia:* Producat terra animam viventem. *Quan-*
,,*tùm verò ad hominem, dicitur (Gen: 2. 7.) quòd* inſpiravit in faciem ejus
,,ſpiraculum vitæ. *Et ideò concluditur Eccle ult: v. 7.* Revertatur pul-
,,vis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui
,,dedit illum. *Similiter proceſſus vitæ eſt ſimilis quantùm ad corpus; ad quod*
,,*pertinet, quod dicitur in Eccle:* Similiter ſpirant omnia, *& Sapp: 2 2.*
,,Fumus & flatus eſt in naribus noſtris &c. *Sed non eſt ſimilis pro-*
,,*ceſſus quantùm ad animam: quia homo intelligit, non autem animalia bruta.*
,,*Unde falſum eſt, quod dicitur:* Nil habet homo jumentô ampliùs. *Et*
,,*ideò ſimilis eſt interitus, quantùm ad corpus, ſed non quantùm ad animam*,,. *S.*
Thom: 1. p. q 75 art: 6 ad 1 Similia habet quæſt: 2. de anim: art: 15. ad 1.
,,*Salomon in libro Eccleſiaſtæ loquitur quaſi Concionator, nunc ex perſona ſapientum,*
,,*nunc ex perſona ſtultorum: verbum autem inductum loquitur ex perſona ſtultorum.*
,,*Vel poteſt dici, quòd unus dicitur interitus hominis & jumentorum, quantùm*
,,*ad corruptionem compoſiti, quæ utrobique eſt per ſeparationem animæ à corpore:*
,,*licèt poſt ſeparationem anima humana remaneat, non autem anima jumentorum*,,.
Huetius verò Demonſtr: Evang prop: 4 de libro Eccleſiaſtis conformiter S.
Gregorio Magno lib: 4. Dialog cap: 4. ùt refert Oſterrieder part: 2. Metaph:
Diſſ. 1. Pneumat: Sect: 1. prop: 4. n. 408. pag: mihi 776. ſic exponit: ,,*Is*
,,*unus Eccleſiaſtæ ſcopus erat propoſitus, ut de finibus bonorum & malorum*
,,*diſſerat. Varias itaque ſtatim ab initio profert opiniones, easque ad examen ſe*
,,*ſuum revocâſſe, ac tandem repudiaſſe contentus, ait, & in ea demum acquie-*
,,*ſcit, quæ Deum timendum, ac mandata ejus obſervanda eſſe tradit*,,. Finem
loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo. *Eccle 12. 13.*

quoniam explentur per organa. Solum intelligere & velle censentur propria opera animæ. Denominatio ergo debet fieri à superabundanti proprio, & quoniam ex proprio opere, quod est intelligere, deducitur esse separabilis, ideò longè ampliùs potest & debet concludi immortalis ex solo intelligere, quàm mortalis ex vegetare & sentire, quæ non sunt propria munia animæ, sed communia corpori & animæ.

CONCLUSIO III.

XLV. IN eodem homine una tantùm datur Anima Rationalis: Nulla enim est necessitas plurium. Et si diversitas operationum argueret animas realiter distinctas, eadem anima rationalis deberet esse à semetipsa distincta realiter: modò enim ponit intellectiones, modò volitiones &c: modò assensum, modò dissensum, quæ operationes non solùm sunt diversæ, utì nutritio & sensatio, sed omnino oppositæ. Sequeretur etiam animam sensitivam esse realiter aliam, dum visiva fit; aliam, dum auditiva &c. Atque hæc omnino videtur esse doctrina Ecclesiæ (VIII.) relata. Nec rectè dixeris cum Okamo: Synodum damnare quidem eos, qui homini duas tribuunt rationales animas; at non, qui, præter rationalem, aliam sensitivam admittunt. Nam 1. Græcus Canon habet: „Vetus, Novaque lex Testamenti docet unicam homini, eamque ratione & intelligentia pollentem esse animam„ (a). 2. In lib. Ecclesiast. Dogmat. (b) dicitur: „Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus, & alii Syrorum scribunt: unam animalem, qua animetur corpus, & quæ immixta sit sanguini: alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus, unam, eamdemque animam in homine esse quæ & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat„. 3. Anima superior continet inferiores (quemadmodum superficies lineam, corpus superficiem, numerus superior inferiorem, figura quadrata triangularem; nam „Quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus„ (c), ac earum operationes præstat: ùt docemur tum experientiâ, qua in nobis sentimus, eamdem animam esse, quæ sentit & cupit, ac quæ intelligit & vult: tum summâ omnium harum virium, & operationum subordinatione, cujus alia vix reddi potest ratio, quàm quòd ab eodem primo principio fluant: tum ex eo, quòd una operatio, si sit intensior, alias

G impediat:

(a) *ùt refert Ant: Goudin tom: 3. Philos: part: 4. Phys. Disp. un. q. 1. art. 3. pag: mihi 250.* (b) *Cap: 15. in princip: tom: 3. inter Opera Augustini.*
(c) *Axioma S. Dionysii.*

impediat: ut nimia passio mentem offuscat, & voluntatem trahit: è contra fortior contemplatio actiones virium inferiorum suspendit: quod certè quis fieri posse concipiat, nisi earum principium sit unicum: ergo præter eam aliæ superfluerent, proindeque non sunt, ubi ipsa adest: nisi Deum & naturam aliquid frustrà moliri concesseris. Sed præstat audire Doctorem Angelicum: *Si ponamus animam corpori-uniri sicut formam* LIX.) *omnino impossibile videtur plures animas per essentiam differentes* (a) *in uno corpore esse. Quod quidem triplici ratione manifestari potest. Primò quidem, quia animal non esset simpliciter unum, cujus essent animæ plures. Nihil enim est simpliciter unum, nisi per formam unam, per quam habet res esse: ab eodem enim habet res, quòd sit ens, & quòd sit una: Et ideo ea, quæ denominantur à diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus. Si igitur homo ab alia forma haberet, quòd sit vivum, scilicet ab anima vegetabili, & ab alia forma, quòd sit animal, scilicet ab anima sensibili; & ab alia quòd sit homo, scilicet ab anima rationali: sequeretur quòd homo non esset unum simpliciter, sicut & Aristoteles* (b) *argumentatur contra Platonem, quòd si alia esset idea animalis, & alia bipedis, non esset unum simpliciter animal bipes. Et propter hoc* (c) *contra ponentes diversas animas in corpore, inquirit, quid contineat illas, id est, quid faciat ex eis unum: Et non potest dici, quòd uniantur per corporis unitatem: quia magis anima continet corpus & facit ipsum esse unum, quàm è converso. Secundò hoc apparet impossibile ex modo prædicationis. Quæ enim sumuntur à diversis formis, prædicantur adinvicem, vel per accidens, si formæ non sint adinvicem ordinatæ, puta cùm dicimus, quòd album est dulce: vel si formæ sint ordinatæ adinvicem, erit prædicatio per se, in secundo modo dicendi per se, quia subjectum ponitur in definitione prædicati, sicut superficies præambula est ad colorem: Si ergo dicamus, quòd corpus superficiatum est coloratum, erit secundus modus prædicationis per se. Si ergo alia forma sit, à qua aliquid dicitur animal, & à qua aliquid dicitur homo, sequetur, quòd vel unum horum non possit prædicari de altero, nisi per accidens, si istæ duæ formæ adinvicem ordinem non habent; vel quòd sit ibi prædicatio in secundo modo dicendi per se, si una animarum sit ad aliam præambula. Utrumque autem horum est manifestè falsum: quia anima per se de homine prædicatur, non per accidens: homo autem non ponitur in definitione animalis, sed è converso. Ergo oportet eandem formam esse, per quam aliquid est animal, & per quam aliquid est homo: alioquin homo non verè esset id, quod est animal, ut sic animal per se de homine prædicetur. Tertiò apparet hoc esse impossibile*

(a) *Quemadmodùm Plato opinatus est, ponens diversas animas in uno corpore etiam secundùm organa distinctas, quibus, diversa opera vitæ attribuebat, dicens vim nutritivam esse in hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitivam in cerebro ùt refert Arist: lib: 1. de anim: tex: 9. & lib: 3. tex: 41.* (b) *3. Metaph: tex. 30.* (c) *In 1. de anim. tex. 91.*

impossibile per hoc, quòd una operatio animæ, cùm fuerit intensa, impedit aliam. Quod nullo modo contingeret, nisi principium actionum esset per essentiam unum. Sic ergò dicendum, quòd eadem numero est anima in homine, sensitiva, & intellectiva, & nutritiva. Quomodo autem hoc contingat, de facili considerari potest, si quis differentias specierum & formarum attendat. Inveniuntur enim rerum species & formæ differre ab invicem secundùm perfectius & minùs perfectum. Sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt, inanimatis, & animalia plantis, & homines animalibûs brutis. Et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo Arist: in 8. Metaph: assimilat species rerum numeris, qui differunt specie secundùm additionem, vel subtractionem unitatis. Et in 2. de Anim. comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam: sicut pentagonum continet tetragonum, & excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, & nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, & per aliam pentagona (quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur) ita nec per aliam animam Socrates est homo, & per aliam animal, sed per unam & eandem (a).

XLVI. *COROLLARIUM I.* Turpissimè aberrârunt Manichæi, uni, eidemque homini duas animas rationales inesse fingentes, bonam unam, alteram malam, eò quòd in homine deprehendantur inclinationes piæ & pravæ, pugna affectuum diversa &c. Nempe diversitas hæc non se tenet ex parte animæ, sed objecti nunc allicientis, nunc retrahentis eamdem animam pro varietate circumstantiarum, motivorumque magìs, minùsve afficientium; aut si in animam refunditur lucta inter carnem & spiritum &c. item, quòd nunc bene, nunc malè operetur &c. plus non sequitur, quàm posse eamdem animam pro sua libertate eligere malum præ bono, item eamdem subjacere motibus involuntariis, rationis usum liberum prævenientibus. Hic Manichæorum error impius omnino est; cùm supponat duo dari rerum principia, Deum bonum boni Auctorem, & Genium malum omnium malorum creatorem. Præterea adversatur libertati humanæ ex fide certæ: bona enim anima juxta hæreticos istos necessariò bene ageret, & mala malè. Unde meritò proscriptum est ab Ecclesia dogma & fidei, & rationis principiis tantopere contrarium (VIII.).

XLVII. *COROLLARIUM II.* Anima humana non est una eademque numerô in omnibus hominibus, sed multiplicatur secundùm multiplicationem corporum (XI.). Cùm enim sit substantia incorporea (XXIV.) cui cogitationes immanentes sunt & essentiales (II. XXVI.); si

 est una

(a) *S. Thom. 1. p. q. 76. art. 3.*

est una eademque in omnibus hominibus, ejus vis intellectiva & una ipsa eademque est in omnibus; adeòque eædem in omnibus cogitationes; idemque cogitationum ordo & numerus, eademque claritas, aut obscuritas, velocitas, aut tarditas: at neque eædem numerò cogitationes in omnibus, neque eadem cogitationum series & numerus, minùs etiam eædem aliæ cogitationum affectiones, claritas, obscuritas, velocitas, ne super iisdem quidem rebus; non igitur mens humana una eademque numerò in omnibus est. Propterea quod Aristoteles prodidit, comprobatumque est à sequioribus, intellectum fieri quodammodò omnia, quæ intelligit, idest, ideas intellectuales & intellectum unum esse, idemque; indubitatum est: fit autem non simul omnia intelligibilia, neque plurima: capacitatis enim non modò infinitæ non est, sed ne magnæ quidem; ut idcirco experiamur, vix eum sufficere parvo numero idearum simul contemplando: at si unus esset in omnibus, fierent eodem tempore tot distincta atque diversè intelligibilia, quot simul, qui sunt homines, intelligunt: non unus igitur in omnibus (a). Sunt, qui superioribus argumentis respondent, vim intellectivam unam quidem in omnibus hominibus esse, sed eam diversè modificari in singulis, pro phantasmatum sensuum & cerebri diversitate, indeque esse, ut in diversis hominibus diversa appareat. Quemadmodum idem succus nutritius pro varia herbarum, plantarumque structura, in frondes, fructusque diversos erumpit: idem flatus pro instrumentorum varietate varios edit sonos. Quibus S. Thomas perspectè respondet, quòd quoniam intelligere actio est immanens, fieri non potest, ut sola phantasmatum varietate, & multiplicate variet (b). Atque S. Augustinum (c) explicans, inquit:

„Quòd

(a) „*Intellectum esse unum omnium hominum, omnino est impossibile. Et hoc „quidem patet, si secundùm Platonis sententiam, homo sit ipse intellectus: seque- „retur enim si Socratis & Platonis est unus intellectus tantùm, quòd Socrates „& Plato sint unus homo, & quòd non distinguantur abinvicem, nisi per hoc, „quod est extra essentiam utriusque, & erit tunc distinctio Socratis & Plato- „nis non alia, quàm hominis tunicati & cappati, quod est omnino absurdum. „Similiter etiam patet hoc esse impossibile, si secundùm sententiam Aristotelis „(lib. 3. de anim. tex. 52. & lib. 1. tex. 15. & 16) intellectus ponatur pars „seu potentia animæ, quæ est hominis forma. Impossibile est enim plurium nu- „mero diversorum esse unam formam, sicut impossibile est, quòd eorum sit unum „esse: nam forma est essendi principium„. S. Thom. 1. p. q. 76. art. 2.*

(b) *Lib 2. contra Gent. cap. 73.* (c) *Lib. de quantit. anim. cap. 22. ad fin. tom. 1. dicentem: „De numero animarum nescio quid tibi respondeam. Si enim „dixero, unam esse animam, conturbaberis, quòd in altero beata est, & in al-*

„Quòd Augustinus se derisibilem profitetur, non si dicat multas ani„mas, sed si dicat multas tantùm: ita scilicet quòd sint multæ, & „secundùm numerum, & secundùm speciem,„ (a). Idem alibi habet: „Quòd Augustinus intelligit animas non esse plures tantùm, quin „uniantur in una ratione speciei,„ (b).

XLVIII. *COROLLARIUM III.* Non datur transmigratio animarum Pythagorica, quam græci *Metempsychosim* dicunt. Nam Fides docet 1. Animam pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem, & multiplicatam, & multiplicandam (XI.). 2. Piorum animas præmiô, improborum suppliciô gehennæ affici post mortem (c). Dein: facta hac transmigratione vel datur locus novis meritis aut demeritis comparandis, vel non datur? Quidquid dicitur, sequela adversabitur Fidei: *primum* quidem: quia sic anima in uno corpore cælum, in altero infernum promereri poterit, utut non ampliùs sit in via merendi &c. *alterum* si dicas: homo carebit libertate, imò cùm posset quilibet ambigere, num sua anima in hoc ergastulo corporeo hærens habeat facultatem merendi, vitiis pandetur porta &c. Præterea, si anima transiret ab uno corpore ad aliud, tunc vel in corpus animatum, vel nondum animatum? Si in corpus animatum? ergo plures, & plures, quidni & millenæ animæ simul existent, vel saltèm possent existere in eodem corpore: ergo hoc unicum corpus tot animabûs refertum denominabitur simul homo & leo, & canis, erit ens ratione præditum & privatum &c. Si in corpus nondum animatum: vel 1. sufficit ejusdem operationibus quælibet dispositio? & sic eadem hominis anima jam latrabit in cane, jam ratiocinabitur in Platone &c. viciſſim anima canis in corpore humano disputabit &c. tales nempe dabuntur operationes, qualia habentur organa, sicut tales sunt in organo pneumatico soni, quales ibi statuuntur tubi. Vel 2. non sufficit quælibet dispositio: & sic anima Platonis & Aristotelis debebit expectare, donec corpus quo ad dispositiones priori æquale generetur: vel migrabit in apem, formicam, animalcula ingeniosa, aut in elephantem animalium sapientissimum, & Plinio teste tam docilem, ut literas etiam græcas didicerit: è contra bardi Americani

„tero misera: nec una res simul beata & misera esse potest: Si unam simul & „multas esse dicam, ridebis, nec facile mihi, unde tuum risum comprimam, sup„petit: Sin multas tantummodo dixero esse, ipse me ridebo, minusque me mihi „displicentem, quàm tibi, perferam,„.

(a) *Quæst: 2. de anim. art. 3. ad 2.* (b) *1. p. q. 76. art. 2. ad 6.*

(c) Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Matt. 15. 46.*

ricani occupabunt corpus struthionis, belluæ ignorantissimæ &c. quæ & similia commenta adeò sanæ rationi, & communissimo hominum sensui adversantur, ut meritò Aristoteles (a) fabulas Pythagoricas appellârit opinionem, quæ tenet, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.

XLIX. *COROLLARIUM IV.* Animæ rationali competit modus existendi definitivus. Est enim substantia indivisibilis & simplex (XXXIV.) ergo tota existit in toto corpore, & in corporis partibus tota, puta secundùm totalitatem essentiæ, non virtutis. Dein: Ex una parte existentia definitiva nec repugnat in se, nec respectu entis creati, ùt constat in Deo, & Angelis; ex altera parte perfectionem hanc & natura & officium animæ exigit: Tum quia Anima est forma vera ac physica totius corporis (LIX.): ergo exigit informare omnes partes corporis (b). Tum quia si anima existeret in puncto

(a) *Lib. 1. de anim. text 53.* (b) *„Si anima uniretur corpori solùm ùt motor, posset dici, quòd non esset in qualibet parte corporis, sed in una tantùm, „per quam alias moveret. Sed quia anima unitur corpori ùt forma, necesse est, „quod sit in toto, & in qualibet parte corporis: non enim est forma corporis accidentalis, sed substantialis. Substantialis autem forma non solùm est perfectio „totius, sed cujuslibet partis: cùm enim totum consistat ex partibus: forma totius, quæ non dat esse singulis partibus, est compositio & ordo, sicut forma do„mus, & talis forma est accidentalis. Anima verò est forma substantialis: „Unde oportet, quòd sit forma & actus non solùm totius, sed cujuslibet partis. „Et ideo recedente anima, sicut non dicitur animal, & homo, nisi æquivocé, „quemadmodùm & animal pictum, vel lapideum: ita est de manu & oculo, „aut carne & osse, ùt Philosophus lib: 2. de anim: tex: 9. dicit. Cujus si„gnum est, quòd nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente: cùm „tamen omne quod retinet speciem, retineat operationem speciei Actus autem „est in eo, cujus est actus: unde oportet animam esse in toto corpore, & in qua„libet ejus parte. Et quòd tota sit in qualibet parte ejus: hinc considerari po„test. Quia cùm totum sit, quod dividitur in partes, secundùm triplicem divi„sionem, est triplex totalitas. Est enim quoddam totum, quod dividitur in par„tes quantitativas, sicut tota linea vel totum corpus. Est etiam quoddam totum, „quod dividitur in partes rationis & essentiæ, sicut diffinitum in partes diffinitionis; „& compositum resolvitur in materiam & formam. Tertium autem totum est po„tentiale, quòd dividitur in partes virtutis. Primus autem totalitatis modus non „convenit formis, nisi fortè per accidens, & illis solis formis, quæ habent indiffe„rentem habitudinem ad totum quantitativum & partes ejus; sicut albedo, quantùm „est de sui ratione, æqualiter se habet, ut sit in tota superficie, & in qualibet su„perficiei parte: & ideo divisa superficie dividitur albedo per accidens. Sed*

puncto duntaxat indiviſibili; deberent omnes impreſſiones in ſenſibus externis factæ communicari animæ per nervos ſenſorios in unico punctulo concurrentes: hoc autem fieri non poteſt: vel enim deberent nervi plures mutuò compenetrari; vel anima non perciperet omnium nervorum motiones, adeòque plurima non ſentiret &c. Hinc S. Auguſtinus [a]: ,,Non mole diffunditur per ſpatium loci, ſed in unoquoq; ,,corpore, & in toto tota eſt,,. Item [b]: ,,Anima per omnes ejus ,,[corporis] particulas tota ſimul adeſt, nec minor in minoribus, & in ,,majoribus major, ſed alicubi intenſiùs, alicubi remiſſiùs, & in omni-,,bus tota, & in ſingulis tota eſt,, ,,In membris omnibus diffuſa, à ,,ſingulis quibuſque partibus non abeſt,, [c]. Taceo alios Patres, qui cum S. Gregorio Nicæno [d] docent, animam rationalem non uni certæ parti, ſed toti corpori hominis eſſe unitam.

CON-

,,forma, quæ requirit diverſitatem in partibus, ſicut eſt anima, & præcipuè ani-,,malium perfectorum, non æqualiter ſe habet ad totum & partes: unde non di-,,viditur per accidens, ſcilicet per diviſionem quantitatis. Sic ergo totalitas ,,quantitativa non poteſt attribui animæ, nec per ſe, nec per accidens. Sed tota-,,litas ſecunda, quæ attenditur ſecundùm rationis & eſſentiæ perfectionem, propriè ,,& per ſe convenit formis. Similiter autem & totalitas virtutis, quia forma ,,eſt operationis principium. Si ergo quæreretur de albedine, utrum eſſet tota in ,,tota ſuperficie, & in qualibet ejus parte, diſtinguere oporteret: quia ſi fiat men-,,tio de totalitate quantitativa, quam habet albedo per accidens, non tota eſſet in ,,qualibet parte ſuperficiei. Et ſimiliter dicendum de totalitate virtutis. Magìs ,,enim poteſt movere viſum albedo, quæ eſt in tota ſuperficie, quàm albedo, quæ ,,eſt in aliqua ejus particula. Sed ſi fiat mentio de totalitate ſpeciei & eſſentiæ, ,,tota albedo eſt in qualibet ſuperficiei parte. Sed quia anima totalitatem quan-,,titativam non habet nec per ſe, nec per accidens, ùt dictum eſt; ſufficit dicere, ,,quòd anima tota eſt in qualibet parte corporis ſecundùm totalitatem perfectio-,,nis & eſſentiæ, non autem ſecundùm totalitatem virtutis: quia non ſecundùm ,,quamlibet ſuam potentiam eſt in qualibet parte corporis, ſed ſecundùm viſum in ,,oculo, ſecundùm auditum in aure, & ſic de aliis. Tamen attendendum eſt, ,,quòd, quia anima requirit diverſitatem in partibus, non eodem modo compa-,,ratur ad totum, & ad partes; ſed ad totum quidem primò & per ſe, ſicut ad ,,proprium & proportionatum perfectibile, ad partes autem per poſterius, ſecundùm ,,quod partes habent ordinem ad totum,,. S. Thomi 1. p. q. 76 art: 8. ,,Ani-,,ma eſt actus corporis organici. Corpus autem organicum eſt conſtitutum ex ,,diverſis organis. Si ergo anima eſſet in una parte tantùm ùt forma, non ,,eſſet actus corporis organici, ſed actus unius organi tantùm, puta cordis, aut ,,alicujus alterius, & reliquæ partes eſſent perfectæ per alias formas, & ſic non ,,eſſet unum quid naturaliter: Sed compoſitione tantùm,,. Idem quæſt. de anim. art. 10.

(a) Lib 7 de Trinit. (b) Epiſt. 166. (c) S. Hilarius in Pſal. 18. (d) De Opific. hom. cap: 14. & 15.

CONCLUSIO IV.

L. Anima rationalis est libera, non solùm libertate spontaneitatis, sive à coactione, sed etiam libertate indifferentiæ, sive à necessitate, adeòque falsum & hæreticum est dicere, omnia de necessitate absoluta evenire [XII. XVII. XIX.]. Ac spontaneos quidem actus in nobis existere, eos nimirum, in quibus exercendis nulla prorsus extrinseca vis, aut interior voluntatis aversio, vel repugnantia reperitur, intimo sensu percipimus: Bonum enim non liberè, sed sponte tamen emamus; apertis oculis necessariò, simulque libenter, ac sponte intuemur; necessario quidem, sed tamen sponte respiramus &c. Non est etiam perneganda purior illa, nobiliorque libertas, quæ necessitatem omnem excludat: „Alioquin frustrà essent „consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia & pænæ„ [a]: „Vel enim homo determinatus esset ad implenda præcepta, vel ad ea „non implenda: si primum; frustrà præciperentur, quæ necessariò fa„cienda essent, ùt frustrà præciperetur Beatis, ut Deum ament: si „secundum: frustrà prohiberetur, ut ea vitaret (XVI.), à quibus non „posset abstinere„ (b). „Quidam posuerunt, quòd voluntas homi„nis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen po„nebant, quòd voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium „est violentum, sed solùm id, cujus principium est extrà. unde & „motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti; „violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario, quia utri„usque principium est intrà, violenti autem principium est extrà. „Hæc autem opinio est hæretica (c), tollit enim rationem meriti & „deme-

(a) *S. Thom. 1. p q. 82. art. 1.* (b) *P. Collet Instit. Theolog. tom. 1. Tract. de Act. Hum. cap. 1. art. 2. pag. mihi 20 edit. Culmen. 1765.* (c) *scilicet quòd ex necessitate moveamur: cùm toties Scriptura Sacra doceat relictum esse hominis arbitrio, ut bonum vel malum eligat; Et ùt quæst. 6 de malo art. unic. in argum.* Sed contrà *inquit S. Thomas: „Deus ab initio constituit hominem, „& reliquit eum in manu consilii sui: hoc autem non esset, nisi haberet liberam electionem, quæ est appetitus præconsiliati; ùt dicitur 3. Ethicor:„. Plurima alia & ferme omnia, quæ ex Scriptura Sacra referri possunt, colligit D. Augustin: lib. de liber. arbitr. „Revelavit enim nobis, inquit cap. 2. per Scripturas suas „Sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium„. Et cùm plura retulisset, ut omnia ferme comprehendat: „Ubi, inquit, dicitur: noli hoc, & noli „illud, & ubi ad aliquod faciendum in Divinis monitis opus voluntatis exigitur, „satis liberum demonstratur arbitrium„ (XIV).*

„demeriti in humanis actibus (a): non enim videtur esse merito-„rium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod „vitare non possit (XVI.). Est etiam annumeranda inter extraneas „Philosophiæ opiniones: quia non solùm contrariatur Fidei (XIX.), „sed subvertit omnia principia Philosophiæ Moralis (b). Si enim „non sit liberum aliquid (c) in nobis, sed ex necessitate movemur

 „ad

(a) Et verò certum est, ùt habet idem S. Doctor 1. 2. q. 109. art. 8. „Quòd „nullus peccat in eo, quod vitare non potest, ùt S. Augustinus dicit lib. de duab. „animab. & de liber. arbitr:„. Et iterum quæst: 24. de verit. art 10. „Secundùm S. Augustinum, inquit, nullus peccat in eo, quod vitare non potest, „quia jam hoc esset necessarium„. Porro S. Augustin: lib 3. de liber. arbitr. „cap: 18 inquit: Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum te-„ne: quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sinè peccato ei „ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit „incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omni-„no non possit: si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod „vitare non potest: peccatur autem, caveri igitur potest„. (b) Versatur enim Moralis Philosophia circa genus morum, ipsasque morum regulas & humanos actus, qui his regulis morum regi, & ab extremis ad medium revocari possunt & debent: Atqui si nulla sit in actibus voluntatis indifferentia, & voluntas necessitate feratur, ea omnia evertuntur: „Quia nullus motus, (inquit S. Thom. „in 2. dist: 24. q. 3. art. 2.) ponitur in genere moris, nisì habita compara-„tione ad voluntatem, quæ est principium Moralium.-- (Et ideo) Ibi incipit „genus moris, ubi primò incipit dominium libertatis„. Unde, ùt posteà inquit: Ubi est completum voluntatis dominium, ibi est etiam completum aut meritum aut demeritum; Et ea proportione, quâ dominium minuitur, etiam minuitur ipsum meritum, vel demeritum, ùt liquet de motibus primoprimis, adeò ut si nullo modo vitari possint, nullum sit demeritum. Et verò quo pacto regulis morum actus necessarii regi possint, si sint determinati ad unum. Cassus esset in his regendis omnis labor, sicut & in natura, quæ nec flecti, nec mutari potest; „Ad mores enim semper natura recurrit -- damnatos, fixa & mutari „nescia„. Juvenal. Satyr. 13. Et quem modum ratio imponere posset: aut quo pacto ad medium temperatum revocare, si voluntas necessitate ad unum determinatè ferretur, ipsique fixa adhæreret? (c) Non enim est illimitata, sed intra quosdam fines ea, quam asserimus, continetur libertas: „Sunt enim quædam, „quæ inviti patimur, & cum ægritudine; quædam alia, quæ voluntati nostræ „minimè sunt subjecta, non in corpore tantùm, verùm etiam in ipsa mente, quæ-„dam, ad quæ potentia naturæ nostræ non pertingit; hæc omnia cum moderamini „rationis nostræ non subsint, ne libertati quidem subesse possunt„. Ant. Genuen. Elem Metaph. par. alt. cap. 4. Prop. 40. pag. mihi 181.

„ad volendum, tollitur deliberatio (a), exhortatio, præceptum (b), „& punitio, & laus, & vituperium (c), circa quæ Philosophia Mo„ralis consistit. Hujusmodi autem opiniones, quæ destruunt princi„pia alicujus partis Philosophiæ, dicuntur positiones extraneæ, sicut „nihil moveri, quod destruit principia Scientiæ Naturalis. Ad hu„jusmodi autem positiones ponendas inducti sunt aliqui homines, „ partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes „sophisticas, quas solvere non potuerunt„ (d). Est itaque in homine indifferentiæ libertas (e).

LI. *COROLLARIUM I.* Triplex est libertatis radix & origo, scilicet triplex naturæ capacitas & amplitudo sive universalitas, quarum altera dici possit amplitudo naturæ intellectualis, altera rationis & ju-

(a) *Hæc enim de necessariis esse non potest, ut docet S. Thom: 1. p. q. 14.* (b) *Ut enim inquit S. August. lib. de grat. & liber: arbitr: cap. 2. Ipsa Divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum arbitrium, quo jubenti Deo obtemperare posset. Ideoque inexcusabilis homo est, quia impositis præceptis non latet, quid agendum sit; & liberô arbitriô, cui gratia, nisi ex ejus culpa, non deest, obtemperare potest. Et, ulteriùs inquit: Nemo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quique, cùm peccat.* (c) *Hoc enim habet totius generis humani vox, neminem dignum aut præmiô, aut pœnâ, qui ad agendum necessitate constringitur. Ut enim inquit S. August lib. de duab. anim. contr. Manich. cap: 11. „Nec hi Libri (Sacri scilicet) obscuri mihi scrutandi erant, „ut discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod „justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest: Nonne „ista cantant in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, „& Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum ge„nus humanum?„.* (d) *S. Thom: quæst: 6 de malo art. unic.* (e) *„Tota „hominis libertas binis verbis absolvi potest, ac digitô, ut ita dicam, demonstrari. „Exploratum est, causas necessarias agere semper secundùm totas suas vires: „lapides totis viribûs decidunt; elateres totis viribûs objecta obstacula repellunt; „ignis, aqua, cæteræ naturales ac necessariæ causæ totis semper suis viribûs agunt. „At verò, nisi vim manifestam conscientiæ facere velimus, ex intima experientia „quilibet persentiscit, posse se parte virium agere. Ut ecce, quum abacum hunc „primùm parvâ vi digitis premo; mox majori, deinde paulò etiam majori; po„stremò quantum queo; nemo dixerit, me non potuisse premere totis viribûs, quum „parte premebam; nam aliàs ne postremò quidem id potuissem. Qui ergo parte „virium agere possum, ac majori, vel minori, prout libitum fuerit, cogor fateri, „ me non necessariò agere, idest esse liberum. Itaque nisi hoc sit perspicuum, „non video, quid in ideis humanis clari ac perspicui esse possit„. Anton. Genuen. loc. cit.*

& judicii, altera verò voluntatis & electionis, sive ùt alii explicant: universalitas in essendo, in judicando, & in appetendo, aut eligendo. *Prima* igitur libertatis radix est ipsa naturæ intellectualis conditio, quæ ob suam immaterialitatem obtinet infinitam propemodum capacitatem & amplitudinem, quâ possit formas omnes recipere, & ùt Aristoteles inquit, fieri omnia, acceptîs rerum imaginibûs, delibatîs defæcatissimîs rerum omniū perfectionibûs, ut homo minor quidem, sed tamen perfectior mundus, etiam majorem mundum mente gerat, & ùt Ecclesiastes (a) inquit: *Mundum tradidit disputationi eorum*, id est, ùt Vatablus vertit: *Deus quoque mundum ipsum indidit cordi eorum*: Hebr. & LXX. apud Du-Hamel: *Mundum dedit in cor eorum* (b). *Altera* propinquior libertatis radix est universalitas in judicando, quâ intellectus res omnes intelligit, & in omnes partes versat, & abditissimos quosque recessus scrutatur & explorat. „Neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem „libertas adsit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter potest; id ha„bet judicium, quo quodque discernat. Per se igitur facienda, optan„davé dignoscit. Quod verò quis optandum esse judicat, petit; fugitvé „quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio, ipsis etiā inest „nolendi volendique libertas„ (c). Unde observat S. Bernardus (d), quòd ideò „solet liberum arbitrium appellari, ut liberum referatur „ad voluntatem, arbitrium ad rationem„. Habet enim „semper, (ùt „jam dixerat,) rationem comitem, non quòd semper ex ratione, sed „quòd numquam sinè ratione moveatur„ (e). *Tertia* libertatis radix

H2 est ipsa

(a) *Cap: 3. 11.* (b) „*In qualibet re creata perfectioni, quam habet, tantum deest „perfectionis, quantum in aliis rebus reperitur: ut sic cujuslibet rei perfectiò in „se considerata, sit imperfecta veluti pars totius perfectionis universi, quæ con„surgit ex singularum rerum perfectionibus invicem congregatis. At verò, ut „huic imperfectioni remedium aliquod esset, & adhiberetur, invenitur alius mo„dus perfectionis in rebus creatis, secundùm quod perfectio, quæ est propria unius „rei, in altera invenitur. Et hæc est perfectio cognoscentis, inquantùm cogno„scens est: quia secundùm hoc à cognoscente aliquid cognoscitur, quòd ipsum co„gnitum aliquo modo est apud cognoscentem. Et ideo in 3. de anim. dicitur, „quòd anima est quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere. Et „secundùm hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio con„sistat, unde hæc est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire secundùm „Philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi, & causarum ejus, in quo „etiam finem ultimum hominis posuerunt, qui secundùm nos erit in Visione Dei„.* S. Thom. *quæst. 2. de Verit. art. 2.* (c) *Boëtius lib. 5. de Consolat. Philosop.* (d) *Tract. de grat. & liber. arbitr.* (e) „*Ad cujus evidentiam consideran„dum est, quòd quædam agunt absque judicio, sicut lapis movetur deorsum;*

est ipsa voluntatis amplitudo, quæ cùm sit Boni Infiniti capax, nec eam capacitatem & amplitudinem pene infinitam, finitum duntaxat bonum satiare, & explere possit: fit inde, ut cætera omnia bona creata, finitaque, & quorum non potest non esse tenuissima bonitas, voluntas summâ cum indifferentia respiciat, ab iis omnibus independens, quibus eò liberiori, & majori imperiô dominetur, quò Summo Bono, ultimoque fini magis ipsa subjicitur (a).

LII.

„*similiter omnia cognitione carentia. Quædam autem agunt judiciô, sed non liberô, sicut animalia bruta. Judicat enim ovis videns lupum, eum esse fugiendum naturalî judiciô, & non liberô; quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc judicat. Et simile est de quolibet judicio brutorum animalium: Sed homo agit judiciô, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideò agit liberô arbitriô, potens in diversa ferri„. Hæc S. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. quibus hoc exemplū addit quæst. 24. de Verit. art. 1. „Videmus enim quòd omnia, quæ sunt ejusdem speciei similiter operantur, sicut omnes hirundines similiter faciunt nidum, ex hoc, quòd habent judicium (ab Auctore naturæ) determinatum ad aliquod opus, & non ad omnia: Sicut etiam apes non habent industriam ad faciendum aliquod opus, nisi favos mellis, & similiter est de aliis animalibus„. At verò cùm homo rationis beneficiô maximam habeat de rebus omnibus judicandi facultatem, cognoscat etiam tum finem, tum mediorum opportunitatem, fit inde, ut nulli parti judicium alligatum habeat: ex quo consequitur summam etiam inesse voluntati agendi vel non agendi indifferentiam.*

(a) „*Considerandum est, quòd objectum movens voluntatem, est bonum conveniens apprehensum: Unde si sit aliquod bonum, quod apprehendatur sub ratione boni, non autem sub ratione convenientis, non movebit voluntatem. Cùm autem consilia & electiones sint circa particularia, quorum est actus (sive circa quæ actus versantur), requiritur, ut id, quod apprehenditur ùt bonum & conveniens, apprehendatur ùt bonum & conveniens in particulari, & non in universali tantùm. Si ergo apprehendatur aliquid ùt bonum & conveniens secundùm omnia particularia, quæ considerari possunt, ex necessitate movebit voluntatem, & propter hoc homo ex necessitate appetit beatitudinem, quæ secundùm Boëtium est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Dico autem ex necessitate quantùm ad determinationem actûs, quia non potest velle oppositum; non autem quantùm ad exercitium actûs, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine: quia etiam ipsi actus intellectûs, & voluntatis particulares sunt. Si autem sit tale bonum, quod non inveniat esse bonum secundùm omnia particularia, quæ considerari possunt, non ex necessitate movebit, etiam quantùm ad determinationem actûs: poterit enim aliquis velle ejus oppositum, etiam de eo cogitans;*

LII. *COROLLARIUM II.* Libertatis vera notio est, quòd sit vis electiva mediorum, servato ordine finis. In eo scilicet posita est libertatis perfectio, non ut effrænis sit, & absque jugo, sed ut Summo Bono, ultimoque fini, seu in communi, seu in particulari Deo per gratiam adhæreat, ex eaque adhæsione mutabilitatem omnem, quâ in media feratur, coërceat & metiatur. Neque verò id soli libertati eximium: ita enim etiam in rebus omnibus videre est: omnis siquidem motus fundatur in immobili. Cùm describitur circulus, pes unus immobiliter centro hæret, & quò firmior ac immobilior est, eò pes alter securiùs circulum describit. Ostium cardine immobiliter nititur, unde omnis motus dependet. Nulla nisi corruptissima & turbatissima scriptura fieret, nisi quiesceret brachium, dum libero motu digiti characteres efformant: „Non enim movetur solus digitus, nisi fixa sit pal„ma, à cujus articulo velut immoto cardine moveatur: Sic tota palma „ab articulo cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, sic humerus à sca„pula movetur, stantibûs utique cardinibûs, quibûs motio nitatur„ (a). In artibus omnibus amor finis, principium est omnium, quæ ab arte fiunt, summoque jure dominatur. Intellectus primis principiis inhæret, quibûs rationem & discursum omnem moderatur: „Manifestum „est autem, quòd ad virtutem intellectûs pertinet, ut in diversas con„clusiones procedere possit secundùm principia data: Sed quòd in ali„quam conclusionem procedat prætermisso ordine principiorum, hoc „est ex defectu ipsius. Unde quòd liberum arbitrium diversa eligere „possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus. „Sed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est pecca„re, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii „est in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis, qui peccare „possumus„ (b). Hinc illa totius generis humani vox: renuntiandum rebus caducis ad serviendum Deo liberiùs; & illud: *servire Deo regnare est*. Quæ cùm ita sint: erit ergo ille liber, qui per scelera præceps, & legibûs solutus, & gratiæ, & (ùt inquit Sapiens) *Divinæ Providentiæ profugus* renuntiabit? Erit ergo aut nulla, aut tenuissima Beatis, quin etiam Deo relicta libertas, in quibus nulla peccandi facultas est? Sed, inquiunt, an non ad libertatem pertinet utraque illa & contrarietatis & contradictionis indifferentia, ut parî libramentô, ùt inquit S. Basilius

(a) &

„*quia fortè non est bonum, vel conveniens secundùm aliquod aliud consideratum.* „*sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi, & sic de aliis*„. *S. Thom. quæst. 6. & unic. de Elect.*

(a) *S. August. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 21.* (b) *S. Thom. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3.*

(a) & ad vitium & ad virtutem lancem utrinque suspensam inclinare possit? & quamnam reportatura est laudem voluntas, si justitiæ ac virtuti, quam semel amplexa est velut Polypus saxo, adhæreat, nec resilire umquam possit; cùm pro summa laude & commendatione dictum sit: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit?* (b). Verùm quis neget relictam homini infelicem eam potentiam, quâ in utramque partem flecti possit, seu erigi ad virtutem, seu ad vitium deprimi? Sed ea est infelcitas libertatis, gravis defectus, nævus, quo hujus pulchritudo deformatur, non natura, non perfectio. Igitur homini utraque relicta libertas est & contrarietatis & contradictionis, sed utriusque dispar ratio est. Posse enim virtutem amplecti, posse & in vitium ruere, prætermisso ordine rationis & finis (quæ est indifferentia contrarietatis); summa est liberi arbitrii infelicitas: posse agere, posse non agere, servatô, non prætermisso ordine finis (quæ est contradictionis indifferentia), natura est libertatis.

LIII. *COROLLARIUM III.* Turpissimè in statu quæstionis hallucinari, qui libertatem ita concipiunt, tamquam potentiam, quæ omne motivum determinans excludat: talis enim libertas nec ulla esse potest, & naturæ rationali repugnat (c). Sed nec idcirco deest libertas, quòd *concausis aliis*, ùt vocant, temperamentô corporis, actione externorum objectorum, actione Dei, adjuvetur: nam exploratum est causam non idcirco desinere esse causam, quòd ab aliis adjuvetur (d) Quousque igitur Anima humana activitatem suam retinet, operaturque ex ratione boni per desiderium, mali per aversionem, etiamsi ab aliis adjuvetur causis, libera esse non desinit. Quocirca inepta sophismata sunt, quæ adversùs humanam libertatem ex temperamentis, actione externarum rerum, concursu Dei desumuntur argumenta: concausæ eæ tantùm esse possunt, quæ causalitatem Mentis nullo modo evertunt.

LIV. *Scholion I* Ad argumentum illud, quod contra libertatem ex Dei Præscientia petitur, quodque ita conformatur: „Si omnia futura „præscita sunt à Deo, hoc ordine eveniunt, quo ventura præscita sunt: „si autem hoc ordine eveniunt, certus erit ordo rerum præscientiæ „Dei, adeòque certus ordo causarum: si verò certus ordo causarum, „quo fiat omne quod fit, Fatô fiunt omnia, quæ fiunt: neque enim „aliud est Fatum, quàm certa & constans, atque immutabilis causa„rum & effectuum series: at si Fatô omnia fiunt: nulla est libertas. „Jam sunt omnia à Deo præscita, ergo certus ordo causarum: Fatô fi-

„unt

(a) *Lib. de Spiritu S. cap. 16.* (b) *Eccli 31. 10.* (c) *Vide S. Thom. 1. 2. tota q. 9. & 10.* (d) *Vide ùt idem ibidem egregiè id explicat.*

„unt quæcumq; fiunt, nec ulla est libertas„ (a)! quo adeò pertuabatus fuit Cicero, ut ne negaret libertatem, præscientiam Dei sustulerit (b)c a que, ùt loquitur Augustinus, *ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos*! paucis, quasi compendiô, & confidenter, sed peracutè idem Augustinus respondit: „Non est, inquit, consequens, ut si Deo certus est omnium ordo „causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio: & ipsæ quippe „nostræ voluntates in causarum ordine sunt„. „Quæ huc redeunt, „Præscientiam Dei non commutare rerum naturas, sed necessarias qui„dem sinere esse necessarias, liberas verò liberas: quòd scilicet Præscien„tia Dei, si à Divina Voluntate, & Providentia abstracta spectetur, „in rerum naturas physicè non influat. Non secus atque qui me quid„quam operantem inspicit, non adigit ad operandum. Et quemadmo„dùm *Memoria tua*, inquit idem S. Augustinus, *non cogit facta esse, quæ* „*præteriêrunt: sic Deus Præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt* (c). „Scilicet nihil vetat esse aliquid certum, quod sit liberum, si ex eo, „cui id certum est, nulla inferatur operanti vis„ (d). „Quocirca nul„lo modo cogimur, aut retentâ Præscientiâ Dei tollere libertatis arbi„trium, aut retentô libertatis arbitriô Deum negare futurorum præ„scium. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter „confitemur„ (e).

LV. *Scholion II.* Qui præviam motionem physicam propugnant, miram quidem & ineffabilem, utpote quæ in altitudine Sapientiæ & Scientiæ Dei velut abysso quadam delitescit, atque ex infinita & omnipotentissima Dei potestate veluti fonte dimanat, ejusdem cum libertate creata concordiam ultro fatentur; veram tamen esse sibi omnino persuadent: quòd scilicet, ut homo liber, indifferens, propriorum actuum dominus sit, nihil aliud requiratur, nisi ut operetur cùm velit, non operetur si non velit; siquidem *hoc quisque in potestate habere dicitur, quòd si vult facit, si non vult, non facit* (f); hæc autem omnia, inquiunt, verificantur, etiamsi physica prævia motione voluntas hominis applicari debeat ad operandum, ita nimirum Deus voluntatem applicat, sive determinat, ut ipsa quoque seipsam applicet, ac determinet: nam Deus *facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati* (g), facit ipse quæ vult, tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sinè dubio

(a) *Vide S. Augustin: lib. 5 de Civ. cap. 9. & Cic. de Fato.* (b) *Lib. 2. de Divinat.* (c) *Lib: 3. de liber arbitr: cap: 4.* (d) *Genuen Element Metaph. par. alt. in App. ad cap. 4. §. 36. pag. mihi 200.* (e) *S. August. 2. de hæres. Pelag. cap 1. & 3. de liber. arbitr. cap. 3.* (f) *Idem de spir. & lit. cap. 31.* (g) *Idem lib. de corr. & grat: cap. 14.*

dubio habens humanorum cordium quò placet inclinandorum (a) omnipotentissimam potestatem, magìsque habens in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas; cùm denique Deus vult aliquid fieri ab hominibus, quod nonnisi volentibûs hominibûs fieri oportet, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, Eo scilicet inclinante, Qui mirô & ineffabilî modô in ipsis hominum voluntatibus operatur & velle (b). Quinimmo cùm libertas essentialiter sit in ratione (c), & quæ rationem emendant & perficiunt, libertatem quoque perficiant; & Dei actio naturæ humanæ adaptata non possit non illam emendare & perficere, inferunt actione Divina perfici potiùs humanam libertatem, quàm suffocari (XVIII. LVIII.).

LVI. *Scholion III.* Iam illud, quo Calvinus contra libertatem humanam potissimùm utitur, argumentum, peccatô Adæ amisisse homines arbitrii libertatē, levissimū est, nec modò Scripturæ ipsius auctoritate, quæ ùt docet, nos omnes in peccato nasci; ita apud nos arbitrii nostri consilium esse; & Ecclesiæ definitione (XVII. XIX.); sed & ipsa ratione confutatur. Quis enim peccatô, quod ita liberè & contingenter ab Adamo commissum est, ut etiam non committi potuerit, libertatem ipsam extingui potuisse putaverit, si reverà libertas ipsa veluti proprietas & perfectio quædam inseparabiliter ac necessariò humanæ voluntati concessa jam fuerit? quînam fieri potuisse putemus, ut potentia quædam ad oppositos actus indifferens, & quæ naturâ propriâ ad utrumque dirigebatur, ea solùm de causa deleta fuerit, quòd ad unum potiùs, quàm ad aliud sese determinaverit? Certè si libertas ipsa, quæ in Adamo ad bonum, sive malum indifferens perfectè fuerat, extingui debuisset ex eo, quòd liberè malum elegerit, eodem jure extingui debuisset, si liberè bonum eligens, in bono perstitisset; quodsi hoc dici vel effingi non potest, nec illud etiam effingi poterit, solius peccati viribûs arbitrii libertatem extinctam esse. Quodsi Augustinus (d) aliiq; extinctam hominis libertatem asserunt; ita intelligi debent, ut perfectissima libertas illa, vel indifferentia, quâ æqualiter hominis voluntas ad utrumque flexibilis erat, vitiata fuerit, ut deinde ad malum potiùs propenderet; quemadmodum ante peccatum ita libero voluntatis arbitrio sensus atque corporea cupiditas subjiciebatur, ut ab illo non dissentiret; deinde verò in spiritum rebellis, illum sensibilibûs illecebris delinitum ad corporea sensim abripiat, ab amore coelestium avocet, ac degenerem ad terrena deprimat; quæ tamen omnia etsi li-

bertatem

(a) Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. *Prov. 21. 1.* (b) *S. August. de præd. Sanct. cap. 5.* (c) *Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 5. in corp.*

bertatem ipsam minuere, lædere, vulnerare possint, quod experimento ipso fateri cogimur, ipsam tamen funditùs delere non poterunt. Unde Augustinus ipse inquit: „Libertas periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana Divinâ indiget Gratiâ, dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*„ (a). Atque alibi sententiam propriam exponens, inquit: „Peccatô Adæ liberum arbitrium de hominum naturâ periisse non dicimus (b); quis enim nostrûm dicat, quòd primi hominis peccatô periêrit liberum arbitrium de genere humano?„ (c): quæ innumeris aliis in locis expressè docet, ut de Augustini certè sententia dubitari non possit.

LVII. *Scholion IV.* Sunt, qui stante Astrorum influxu, libertatem humanam subsistere non posse opinentur, sed falsò: licèt enim non negemus (equidem ea de re non sumus hìc soliciti) temperiem nostrã ab astris quoque plurimùm pendere cùm pendeat ab äëre, in quem illa quocumque tandem modô agunt; interim id non magìs libertati officit, quàm propensiones temperamentorum. Nempe cùm ea omnia rationem consultatricem super bonis aut malis objectis non auferant, efficere quidem possunt, ut vim quamdam sentiamus, quæ nos illiciat, atque permoveat; cogere verò & rapere nequeunt. Intimâ id confirmamus consciemtiâ. Proferuntur quidem in medium Astrologi judiciarii, *genus hominum*, ùt perbellè Tacitus vocat, *potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in Civitate nostra vetabitur semper, & retinebitur*; atque eorum prædictionibûs plenas esse historias Fati Astronomici assertores prædicant sed id argumentum vulgi potiùs fraudum ignari approbationem, quàm Philosophorum, mereri potest. Non quòd propensiones quasdam hominum generatim non agnoscant plerumque, non sti de trivio Astrologi, sed prudentes & perspicaces omnes, atque inde probabilibûs conjecturîs proventuras actiones non pervideant; sed quòd magna illa confidentia perridicula sit, & eventîs ipsîs refellatur. Profectò ubi cætera desint manifestæ fraudis argumenta, at illud non leve certè est, quod scitè Ennius protulit: *Qui aliis monstrant viam, sibi semitas ignorant.* Referendæ essent in tabellas circulatorum hujusmodi prædictiones, ut, quæ mentiantur, quæ certa pronuntient, dimetiri

 possèt

(d) „*Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*„. *Epist. 107. ad Vital.* „*Liberô arbitriô malè utens homo, & se perdidit & ipsum; illa enim est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit*„. *Enchir. cap. 36.* (a) *Lib. 1. contr. duas Epist. Pelag. n. 5. al. cap. 2.* (b) *Lib. 2. contr. duas Epist. Pelag. cap. 5.* (c) *Ibid. lib. 2. cap. 1.*

possit. Sed non est opus pluribus: cùm ejusmodi divinatio & à Cicerone doctè pertractata (a); & ab Ecclesia seriò prohibita sit (b).

LVIII. *Scholion V.* Non desunt libertatis humanæ hostes, qui Scripturas etiam divinas in partem suam, quo error illorum honestior appareat, trahere adnitantur. Scriptura, inquiunt, pernegat homini inesse libertatem, dicit enim *1. Cor regis in manu Domini est: quocumque voluerit inclinabit illud* (c). *Deus est, qui operatur* in nobis *& velle & perficere* (d) ergo homo non est liber, cùm non sit causa suorum actuum. *2. Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio* (e). ergo homo non est liber: quia non facit, quod vult. *3. Non est volentis* (scilicet velle), *neque currentis*, scilicet currere (f). ergo homo non est liber: quia non potest velle & non velle, operari & non operari. *4. Non est hominis via ejus: nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos* (g). Sed jam pridem S. Thomas hos nodos dissolvit. *Ad 1.* „Liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbi„trium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate „libertatis, quòd sit prima causa sui id, quod liberum est: sicut nec „ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima „causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, „& voluntarias: Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, „quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non „aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit: „operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem„ (h LV.). *Ad 2.* „Appetitus sensitivus, etsi obediat rationi, tamen potest in ali„quo repugnare, concupiscendo contra illud, quod ratio dictat. Hoc „ergo est bonum, quod homo non facit, cùm vult, scilicet non con„cupiscere contra rationem„ (i): adeòque sensus est: *Non quod* mente „*volo bonum, hoc ago carne, sed quod* mente *odi malum, illud* carne operor. *Ad 3.* „Verbum illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, & non currat liberô arbitriô, sed quia liberum arbitrium „ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur, & juvetur à Deo„ (LV. k). *Ad 4.* „Dicitur non esse in homine via ejus quantùm ad executiones electio-

(a) *In libris de Divinat. Adde Picum adversùs Astrologos.* (b) „*Episcopi* „*diligenter provideant, ne Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices, legantur,* „*vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successivis, fortuitisvè casibus,* „*quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audeant*„. *Regula IX. Indicis Libror. Prohibit.* (c) *Prov. 21. 1.* (d) *Ad Philip. 2. 13.* (e) *Rom. 7. 15.* (f) *Rom. 9. 16.* (g) *Jerem. 10. 23.* (h) *1. p. q. 83 art. 1. ad 3.* (i) *Ibid. ad 1. Idem habet S. August. lib. 3. cont. Julian. cap. 26. & lib. 1. contr. duas Epist. Pelag. n. 18.* (k) *S. Thom. loc. cit. ad 2.*

„electionum, in quibus homo impediri potest, velit, nolit: Electiones „autem ipsæ sunt in nobis, supposito tamen Divino auxilio„ (a). Unde alibi dicitur: *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus* (b).

CONCLUSIO V.

LIX. Anima Rationalis *verè, per se* & *essentialiter* est *Forma* substantialis corporis humani. (X. XI.). „Necesse est dicere, quòd intelle„ctus, qui est intellectualis operationis principium, sit humani cor„poris forma. Illud enim, quo primò aliquid operatur, est forma ejus, „cui operatio attribuitur. Sicut quo primò sanatur corpus, est sanitas; „& quo primò scit anima, est scientia. Unde sanitas est forma cor„poris, & scientia animæ. Et hujus ratio est: quia nihil agit, nisi se„cundùm quod est actu. Unde quo aliquid est actu, eo agit. Manife„stum est autem, quòd primum, quo corpus vivit, est anima. Et cùm „vita manifestetur secundùm diversas operationes in diversis gradi„bus viventium, id quo primò operamur unumquodque horum ope„rum vitæ, est anima. Anima enim est primum, quo nutrimur & sen„timus, & movemur secundùm locum: & similiter quo primò intel„ligimus. Hoc ergo principium, quo primò intelligimus, sive dica„tur intellectus, sive anima, est forma corporis . . . Si quis autem „velit dicere, animam intellectivam non esse corporis formam, opor„tet, quòd inveniat modum, quo ista actio, quæ est intelligere, sit „hujus hominis actio. - - - Potest etiam idem manifestari ex ratione „speciei humanæ. Natura enim uniuscujusque rei ex ejus operatione „ostenditur: Propria autem operatio hominis inquantùm est homo, est „intelligere, per hanc enim omnia alia animalia transcendit. - - O„portet ergo, quòd homo secundùm illud speciem sortiatur, quod est „hujus operationis principium sortitur autem unumquodque speciem „per propriam formam. Relinquitur ergo, quòd intellectivum prin„cipium sit propria hominis forma„ (c). Sed bene habet, quòd Auctor Dissertationis de Commercio Animæ cum corpore, cujus suprà (V.) meminimus, pluribus idem argumentum prosecutus est. Profectò„ qui Scholasticorum systema nimis præproperè damnant, ii sæcu„lo magis indulgent, quàm rationi consulunt. Nec Cartesius, qui „adversùs præcipitantiam philosophandi tam sæpe invehitur, rem at„tentè ad incudem revocaverat. Qui secuti sunt, novitatibus dum „toti intendunt, vetera negligunt: dixêre magis, quod placeret, quàm „quod repererant. Nempe vetera fastidiosum hominis ingenium con-

 temnit.

(a) *Idem ibid. ad 4.* (b) *Prov. 16. 9.* (c) *S. Thom. 1. p. q. 76. art. 1.*

„temnit. Transvolat in medio posita, & fugientia captat„ (a). Quòd si eadem sententia suis non caret difficultatibûs: „Numquid ideo negandum est, inquit alicubi S. Augustinus, quod apertum est, quia „comprehendi non potest, quod occultum est ?„.

LX. *COROLLARIUM I.* Cùm Anima rationalis det homini esse substantiale & simpliciter, impossibile est ipsam uniri corpori mediantibûs accidentalibûs dispositionibûs. „Si anima uniretur corpori solùm ùt „motor, nihil prohiberet, imò magìs necessarium esset, esse aliquas dispo„sitiones medias inter animam & corpus, potentiam scilicet ex parte „animæ, per quam moveret corpus, & aliquam habilitatem ex parte „corporis, per quam corpus esset ab anima mobile. Sed si anima in„tellectiva unitur corpori ùt forma substantialis, sicut jam suprà (Num: „præced:) dictum est: impossibile est, quòd aliqua dispositio acciden„talis cadat media inter corpus & animam, vel inter quamcumque for„mam substantialem & materiam suam. Et hujus ratio est quia cùm „materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam; oportet quòd „id, quod est primum simpliciter in actibus, primò in materia intel„ligatur. Primum autem inter omnes actus est esse: Impossibile est „ergo, intelligere materiam priùs esse calidam, vel quantam, quàm „esse in actu. Esse autem in actu habet per formam substantialem, „quæ facit esse simpliciter. - - Unde impossibile est, quòd quæcum„que dispositiones accidentales præexistant in materia ante formam „substantialem, & perconsequens ante animam„ (b).

LXI. *COROLLARIUM II.* In homine non est alia forma præter animam intellectivam (XLV.) „Si poneretur anima intellectiva „non uniri corpori ùt forma, sed solùm ùt motor, ùt Platonici po„suerunt, necesse esset dicere, quòd in homine esset alia forma sub„stantialis, per quam corpus ab anima mobile in suo esse constitue„retur. Sed si anima intellectiva unitur corpori ùt forma substantia„lis, sicut suprà (LIX.) jam diximus: impossibile est, quòd aliqua for„ma substantialis præter eam inveniatur in homine. Ad cujus evi„dentiam considerandum est, quòd forma substantialis in hoc à forma „accidentali differt, quia forma accidentalis non dat esse simpliciter, „sed esse tale: sicut calor facit suum subjectum non simpliciter esse, „sed esse calidum. Et ideo cùm advenit forma accidentalis, non di„citur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed secundùm quid. For„ma autem substantialis dat esse simpliciter. Et ideò per ejus adven„tum dicitur aliquid simpliciter generari, & per ejus recessum sim-
pliciter

(a) *Anton. Genuen. Elem. Met. part. alt. cap. 2. prop. 21. pag. mihi 124.*
(b) *S. Thom. loc. cit. art. 6.*

„pliciter corrumpi. Et propter hoc antiqui naturales, qui posuerunt „materiam primam esse aliquod ens actu, puta ignem, aut äërem, „aut aliquid hujusmodi, dixerunt quòd nihil generatur, aut corrumpitur simpliciter, sed omne fieri statuerunt alterari, ut dicitur in 1. „Physic. Si igitur ita esset, quòd præter animam intellectivam præ„existeret quæcumque alia formà substantialis in materia, per quam „subjectum animæ esset ens in actu sequeretur quòd anima non da„ret esse simpliciter, & perconsequens quòd non esset forma substan„tialis, & quòd per adventum animæ non esset generatio simpliciter, „neque per ejus recessum corruptio simpliciter, sed solùm secundùm „quid. Quæ sunt manifestè falsa. Unde dicendum est, quòd nulla „alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva, & „quod ipsa sicut virtute continet animam sensitivam & nutritivam, „ita virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola, quid„quid imperfectiores formæ in aliis faciunt. Et similiter est dicen„dum de anima sensitiva in brutis, & de nutritiva in plantis: & uni„versaliter de omnibus formis perfectioribus respectu imperfectarum,, (a). Atque ulteriùs explicat, in quo sensu Anima actus corporis physici organici potentiâ vitam habentis dicatur; „Dicendum, quòd A„ristoteles non dicit Animam esse actum corporis tantùm, sed actum „corporis physici organici potentiâ vitam habentis, & quòd talis po„tentia non abjicit (sive non excludit) animam. Unde manifestum „est, quòd in eo, cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur, „eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lu„cidi; non quòd seorsum sit lucidum sinè luce, sed quia est lucidum „per lucem. Et similiter dicitur, quòd anima est actus corporis &c. „quia per animam, & est corpus, & est organicum, & est potentiâ „vitam habens. Sed actus primus dicitur respectu actus secundi, qui est

(a) *Idem loc. cit. art. 4. Similia habet ibidem art. 6 ad 1. „Forma perfe„ctior virtute continet, quidquid est inferiorum formarum: Et ideo, una & „eadem existens perficit materiam secundùm diversos perfectionis gradus. Una „enim & eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, & per „quam est corpus, & per quam est vivum, & per quam est animal, & per „quam est homo,,. Et ibidem art. 7. „Si anima unitur corpori ut forma, „sicut jam dictum: impossibile est, quòd uniatur ei aliquo corpore mediante. Cu„jus ratio est, quia sic dicitur aliquid unum, quomodò & ens: Forma autem per „se ipsam facit rem esse in actu, cùm per essentiam suam sit actus, nec dat esse „per aliquod medium, unde unitas rei compositæ ex materia & forma, est per „ipsam formam, quæ secundùm seipsam unitur materiæ, ut actus ejus. Nec est „aliquid aliud uniens, nisi agens, quod facit materiam esse in actu.*

,,est operatio? Talis enim potentia est non abjiciens, id est non exclu-,,dens animam,, (a).

LXII. *Scholion.* Quinam, cùm utrique non possint: verum enim vero minimè contradicit (XI.); Peripateticis ex forma substantiali hominis, anima scilicet rationali, tamquam ex antecedente certo (LIX.), formas substantiales absolutas cæterarum omnium rerum (præsertim cùm non solus homo sit in se ipso ens per se, generetur, corrumpatur, & substantialiter ab aliis differat, sed & cætera naturæ opera sint unum quid in se ipsis per se, non aggregata per accidens, generentur, corrumpantur, differantque ab aliis substantialiter (b) materialium, quocumque tandem argumentandi modo inferentes (c)? num Recentiores

(a) *Ibidem art. 4 ad 1.* (b) ,,*Neminem cordatè negaturum possibilem & ,,actu existentem rei corporeæ substantialem generationem, quæ sit novæ formæ ab-,,solutæ positio: nisi is seipsum nesciat, vel certo natum tempore, vel certò inter ,,angustias temporis interiturum. Sed nec quisquam ibit inficias, eandem de-,,factò spectare ad Universi integritatem, varietatem & perfectionem; aliàs nec ,,ortum, nec interitum Hominis Natura admitteret. Porrò prorsus abhorret à ,,verisimili, Hominem, corporeîs cunctîs longè præstantiorem, fore* substantialiter *,,corrumpendum, & generandum, per formæ absolutæ recessum, vel accessum; illa ,,verò adhuc infima solius mutationis* accidentalis; *immo nec istius, per positio-,,nem novæ formæ, esse patientia: in quo ipsi Deo paria fiunt, qui nec operatio-,,ne, ùt Angelus, ùt Animus noster, nec substantiâ est mutabilis,,. Johan. Agnani in Epist. ad Amic. circa System. Physic. relata lib. 1. Prodrom. Philos. Neo-palææ pag. mihi 345.* (c) ,,*His omnibus (argumentis) accedit au-,,ctoritas Ecclesiæ, quæ in Concilio Viennensi sub Clemente V. definivit, ani-,,mam rationalem esse partem & formam substantialem hominis (X.), idest ra-,,dicem omnium proprietatum, omnium sensuum, omnium operationum, ex qua & ,,corpore constituatur substantia humana: Ergo etiam in cæteris rebus necesse est ,,præter materiam dari aliquod principium substantiale, quod eas constituat cum ,,materia, sitque radix operationum & proprietatum. Probatur consequentia & ,,paritas. Sicut enim per adventum animæ homo vivit, ac operatur, & per ,,recessum ejus moritur: illaque anima est fons omnium, quæ conveniunt homini ,,ùt homo est: ita in animantibus videmus esse aliquid; per cujus adventum vi-,,vunt, & per ejus recessum pereunt, quodque est fons & radix omnium pro-,,prietatum: Ergo etiam in aliis animantibus (& idem proportione dicendum de ,,rebus inanimatis) est quædam forma substantialis, per quam sunt id, quod ,,sunt, & quæ est fons omnium proprietatum,,. Anton. Goudin tom: 2. Philos. 1. p. Physic. disp. 1. q. 3. de form. subst. art. 1. Concl. 1. pag. mihi 94. ,,Quemadmodùm scimus, hominem physicè ab aliis differre substantialiter, imò ,,à se ipso è vivis sublato, non per partium texturam, quæ adhuc post mortem*

tiores, nullam aliam præter combinationem atomorum Epicuream & Gassendisticam; aut certam motus & quietis, situs, figuræ, magnitudinis partium materiæ, & similium accidentium complexionem Cartesianam: substantialem formam absolutam admittentes, rectiùs philosophentur? æqui rerum æstimatores, nullo partium studio, sed veritatis amore ducti judicent. (XXIII.).

IN his tandem quòad illa, quæ insufficienter dicta, auctori indulgeatur: si quæ verò bona & perutilia sunt, Huic reddantur gratiarum actiones, Qui est vivificans ad sentiendum: afficiens ad appetendum: dilatans ad capiendum: justificans ad promerendum; accendens ad zelum: fœcundans ad fructum: promovens ad bonum: dirigens ad justum; roborans ad virtutem: formans ad benevolentiam; modificans ad scientiam; moderans ad sapientiam; illuminans ad cognitionem: perpetuans ad immortalitatem: implens ad felicitatem: circumdans ad securitatem: amans ùt Charitas (a): noscens ùt Veritas (b): sedens ùt Æquitas (c): revelans ùt Lux (d): regnans ùt DEUS (e), solus Dominus (f), solus Bonus (g), solus Sanctus (h), solus Fortis (i), solus Justus (k), solus Pius (l), solus Beatus (m), solus Potens (n), solus Immortalis (o), solus Altissimus (p), Cui Honor & Gloria in sæcula sæculorum. Amen [q].

„*quandoque ad plura sæcula perennat, sed per differentiam absolutam substantialem; „hoc est, per Animum, ita & de cæteris sentiendum est: quum Natura in a„gendo constans sibi jugiter esse debeat: neque in uno per formam respectivam, „in alio per absolutam tentare valeat, quod in omnibus forma absoluta obtinere „facilè potest. Sed & vanum esse, quòd corpusculorum plexus par sit ad facienda „entia insigniora in Natura, majora quidem faciet, uniet diversa, sed* substantias „*non faciet„. Johan. Agnani loc. cit. n. 22. pag. mihi 346. „Admissò semel gene„rationem & corruptionem substantialem totius hominis non fieri, nisi per introdu„ctionem vel separationem formæ substantialis, scilicet animæ, & non per solam „atomorum unionem vel segregationem, à pari cogimur philosophari quòad hoc „eodem modo & in cæteris, ùt rectè à paritate expendit ad hoc propositum Su„arez disp. 15. Metaph. sect. 1. adducens & illud Eccle. 3. 19.* Unus interi„tus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut „moritur homo, sic & illa moriuntur„. *Seraph. Piccinard. tom. 1. lib. 4. Philos. Dogm. q. 4. art. 1. pag. mihi 376.*

[a] *1. Joan. 4. v. 8. & 16.* [b] *Psal. 84. 12. Joan. 14. 6. 1. Joan. 5. 6.* [c] *Prov. 8. 14.* [d] *Sap. 7. 26. Mich. 7. 8. Joan. 1. 9. † 8. 12. † 9. 5. † 12. 46. 1. Joan. 1. 5.* [e] *Isai. 37. 16.* [f] *4. Reg. 19. 19.* [g] *Matt. 19. 7. Luc. 18. 19.* [h] *1. Reg. 2. 2.* [i] *Ibid.* [k] *2. Machab. 1. 25.* [l] *Apoc. 15. 4.* [m] *1. Tim. 6. 15.* [n] *Ibid.* [o] *Ibid. v. 16.* [p] *Psal. 82. 19.* [q] *1. Tim. 1. 17.*

Sub Felicissimo Regimine,

Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini Domini

M. JACOBI MICHAELIS

MARCISZOWSKI,

Utriusq; Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARII ac DECANI, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. PRIMICERII, Parochialis in Koniusza & Pobiedr CURATI, Illustrissimi Consistorii Cracoviensis Generalis JUDICIS SURROGATI, Librorum per Diæcesim Cracoviensem CENSORIS, Contuberniorum; Regio Jagellonani, Jurisperitorum & Coloniæ Academicæ Tarnoviensis PROVISORIS, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis

RECTORIS.